BIBLIOTECA NAZIONALE CENTRALE - FIRENZE
BUONAMICI
29

Digitized by Google

CATALOGVS

CODICVM SAECVLO XV.

IMPRESSORVM

CATALOGVS
CODICVM SAECVLO XV.
IMPRESSORVM

QVI IN PVBLICA

BIBLIOTHECA MAGLIABECHIANA

FLORENTIAE ADSERVANTVR

AVCTORE

FERDINANDO FOSSIO

EIVSDEM BIBLIOTHECAE PRAEFECTO

TOMVS TERTIVS.

FLORENTIAE A. P. S. CIƆIƆCCLXXXXV.

EXCVDEBAT CAIETANVS CAMBIAGIVS REGIVS TYPOGRAPHVS

PRAESIDVM PERMISSV.

Quidquid sub terra est in apricum proferet aetas
Defodiet, condetque nitentia.

Horat. Epist. VI. Lib. I.

Buon. 39

PRAEFATIO

STatueram apud me initio huius voluminis nihil praefari, satis enim functum fuisse meo munere putabam, etsi leviter quae ad ipsum pertinent in praecedenti adtigisse mihi videretur, iamque idcirco extremam operi manum imponere properabam: quum repente ex Ms. Codice saec. XV. ad exitum vergentis, ope Cl. viri Angeli Fabronii, cui plurimum omnigena eruditio debet, in nostram Bibliothecam inlato, pulcherrima sane nec praetereunda fandi mihi se se obtulit occasio. Is enim impetravit a Sororibus Ripulitanis coenobitice sub Regula S. Dominici viventibus, penes quas exstabat, ut dono mitteretur Magliabechianis Musarum deliciis addendus, utpote qui historiam quodammodo complectitur Typographiae admodum celebris, quae olim Florentiae ad S. Iacobum de Ripulis per novem fere annos floruisse compertum est. Et revera quid sane opportunius, mihi veterum editionum studio addicto, hoc libello unquam obtigisset, quo celeberrimae Officinae typographicae impressorum librorum per ordinem temporum non interrupta series, certae fidei & alibi frustra aucupandis documentis magnopere inlustrari potest? Is profecto ipsissimus est, utinam plures huiusmodi bono Bibliographicae eruditionis aetatem tulissent! accepti & expensi codex, seu mavis adversaria haec sunt autographa Fr. Dominici Pistoriensis Parthenonis simul & Typographiae Ripulensis curatoris, exceptis paucis quae circa libelli finem Fr. Vincentius Brunettus, eius in hoc munere successor, post Dominici obitum notavit, aliorumque syngraphis, quae iam erudito Fineschio ad Ripulensis impressoriae Officinae historiam tractandam facem praetulere. Statim ac libellum manibus adripui, diligentissime evolvi & Bibliographiae studiosis pergratum fore ratus sum Ripulensium editionum Catalogum ex isto potissimum fonte erutum, ceu voluminis prodromum edere, quippe cum & aliunde nil magis consentaneum operi videretur.

Haud equidem cunctabor praefato Fineschio in hac provincia laudem primam deberi, primus enim a libello pulverem excussit, & Reipublicae Litterariae huiusce Typographiae monumenta edito opusculo obtulit, sed

faten-

fatendum est, non pauca virum, gravioribus fortasse distentum curis, fugisse, alia ex industria velut parvi momenti generatim indicasse, quaedam vero ita retulisse, ut aliquid desiderandum hactenus supersit; nec tamen illi succensendum, sed grates potius habendae sunt, quod Typographicae historiae amatoribus, non inerudita sane lucubratione calcaria admoverit. Novum igitur Catalogum iam publici iuris facturus, pauca in antecessum exponere necesse habeo ne quid obscuri vel ambigui Lectori negotium facessat.

Haec itaque praenotanda censeo.

I. Folia Codicis chartacei in 4. oblongo duplici numeratione instructa sunt, scilicet ab 1. ad 132., deinde ab 1. ad 12., & haec secunda numeratio aliud libelli initium respicit quod a calce eiusdem Cod. incipit, hancque ab alia distinxi additis notis N. 2.

II. Operum titulos vernaculo sermone, ut in libello plerumque exstant, referre libuit, nisi oculari inspectiône, vel adcuratiorum Bibliographorum Catalogis edoctus latinum opus titulumque noverim.

III. In chronologicis notis stili Florentini rationem habui, eaque de caussa a kalendis Ianuarii ad 8. kal. April. duplici nota usus sum.

IIII. Editiones in Bibliotheca nostra existentes asterisco hoc pacto indicavi (*), quae autem Fineschio ignotae fuere, vel apud ipsum titulo destituuntur, quasi novas, huiusmodi nota (N) distinxi.

V. Ad calcem editiones illas reieci, quas auctor laudatus vel alii haud satis probabiliter, vel perperam, Ripulensibus inseruere.

1476.

I. Donatello (in Cod. fol. 1. recto).

Sub hoc titulo prima grammatices rudimenta, sive *Donatus pro puerulis* intelligi debet, non autem ut Fineschio pag. 16. 49. *Grammatica Donati*, opus quippe maioris molis, de quo in hoc *Catalogo* T. I. col. 627. Iam praelo exemptum venale prostabat opusculum die 14. Novembris. An primum hoc, vel aliud potius ex sequentibus, Typographiae Ripulensis specimen sit, aliis divinandum relinquo, casu enim in fronte Cod. memoratur, eaque de caussa ceteris praetulimus. De anno & die impressionis huius, vel alterius fortasse praecedentis editionis, aeque incertus sum, non enim absurdum etiam anno 1475 Fr. Dominicum & Fr. Petrum, qui Ripulensi Monasterio anno 1474., ut Fineschius tradit pag. 14., praefecti sunt, typographicam artem exercuisse, nam libellus mss. existente iam Typographia absque die & Consule anepigraphus exorditur.

II. Orazioni (fol. 2. recto, 9. verso).

Hoc nomine nonnulla saltem ex quinque sequentibus opusculis indi-

cari

cari puto. Fineschius pag. 17. 20. 31. 50. *orationes* & opuscula generatim memorat. Hae die 12. Decembris iam publici iuris erant.

1476. 1477.

III. Orazione della misvra di Cristo (fol. 2. verso).

Huius mentio occurrit die 14. Ianuarii. Fineschius pag. 17.

IIII. Orazione di S. Bastiano (fol. 4. verso).

Haec primo innotescit die 25. Februarii. Fineschius pag. 17.

V. Orazione della Pieta' (fol. 5. recto).

Occurrit sub die 23. Martii. Fineschius pag. 17.

1477.

VI. Orazione di S. Gregorio (fol. 5. recto).

Memoratur die 26. Martii. Fineschius pag. 17.

VII. Orazione della Croce (fol. 5. verso).

Haec ibid. sed inferius *Croce* tantum adpellatur. Meminit eiusdem Cod. die 9. Aprilis. Fineschius pag. 17.

(N) VIII. Qvi habitat (fol. 5. verso).

Hoc titulo *Psalmus* 90. ita incipiens indicatur sub die 9. Aprilis.

(N) VIIII. Pater noster (fol. 6. verso).

Exstabat die 25. Aprilis.

X. Libro da Compagnie (fol. 9. verso 10. recto).

In hoc volumine cudendo antiquis litteris usi sunt Typographi, scilicet rotundis, non gothicis ut Fineschio placet pag. 20., nam litterae gothicae, vulgo *moderne* adpellantur in eodem Cod. ubi de editione Platonis agitur de qua infra. Horum characterum matrices iam die 12. Maii huius anni ab Ioanne Teutonico emerant ut fol. 7. recto adparet, eosque primum in hac editione adhibuerunt, quam curae & expensis Barptolemaei Particini debemus. Occurrit primo die 22. Augusti, sed intra diem 12. Maii & 22. Augusti facta videtur. Fineschius loco cit. & pag. 50.

(N) XI. Orazione di S. Givliano cuius initium, *El beato Santo Giuliano* (fol. 12. recto & verso).

Die 20. Septembris primo memoratam inveni.

XII. Omnis mortalivm cvra (fol. 12. 26. & 28. rectis).

Hoc opus S. Antonini Archiepiscopi Florentini, alias in Cod. *Interrogatorio* adpellatum, & in editionibus a me visis modo *Confessionale volgare* modo *Specchio di coscienza*, die 21. Septembris primo memoratur, sed nondum absolutum videtur. Die vero 24. Octobris perfectum

adparet

adparet ex fol. 26. recto, hoc enim traduntur Zenobio Mariani fil. chartario centum exempla, utpote qui impressionem fieri curavit. Solertissimus Audiffredus *Specim. Edit. Italic. Saec. XV.* pag. 264. titulum, subscriptionem & notitiam formae voluminis, scilicet in 8. parvo, ex *Catalogo Valleriano* hausit retulitque. Fineschius pag. 21. 49. Hic minime silentio praetereunda est alia Florentina editio huius operis anni 1479., quod cum Ripulensibus aliquam adfinitatem habeat & iisdem inseri a nonnullis facillime possit, qui Domnum Hippolytum illius typographum, & Ioannem Nati fil. cuius precibus facta fuit, Ripulensibus velut socios adhaesisse ex Cod. nostro vel alio documento, temporum ratione posthabita, noverint. Titulum & subscriptionem integre refert Audiffredus loco cit. pag. 278. ex hisque discimus absolutam fuisse die 24. Februarii 1479., quo societas cum D. Hippolyto iamdudum exoleverat, patet enim ex Cod. fol. 2. recto & verso & 9. recto die 11. Ianuarii 1476. 1477. non amplius exstitisse, nec sine contentione dirempta videtur, nam res ad Vicarium Archiepiscopi Florentini perlata est, qui inter Ripulenses & D. Hippolytum diiudicavit, & iuxta placitum eiusdem rationes solidantur die 28. Iunii eiusdem anni, quo Ripulenses declarant nil commune in posterum cum D. Hippolyto habere. De initio huius societatis ex Cod. nullatenus constat, unde ante diem 24. Novembris 1476. initam fuisse verisimile est. Quum igitur initia Typographiae Ripulensis adtingere possit, suspicarer Fr. Dominicum & Fr. Petrum socium sibi adscivisse Hippolytum iam impressoriam artem callentem, ac proinde nonnulla ante id tempus proprio marte excudere potuisse, qui certe id praestitit societate desita.

XIII. Dell' arte del bene morire (fol. 28. recto 18. & 29. versis).

Hoc opus Dominici Capranicae Cardinalis Firmani hisce variis titulis in Cod. etiam indicatur, *de arte moriendi, de bene moriendo, del ben morire, del morire, dell' arte del morire*. Iam impressum erat die 4. Novembris. Fineschius pag. 22. & 50. meminit huius editionis, sed nescio cur ad Florentinam editionem Francisci Dini Iacobi anni 1487. respuendam proclivis sit, quasi haec Ripulensis locum usurparit illamque excludat, quamvis inferius aequiorem se praebens velut secundam editionem admittere non recuset. De existentia Florentinae editionis anni 1487. dubitare non possumus, quum referatur post alios ab Audiffredo in *Specim. Edit. Italic. Saec. XV.* pag. 305. Alia etiam eiusdem Typographi anni sequentis 1488., non tantum apud laudatum Scriptorem pag. 307. occurrit, sed in nostra Bibliotheca exstat ut videre est col. 54. huius T. III. Idem Fineschius duplici tituli idiomate permotus duas Ripulenses editiones huius anni existere suspicatur, latinam scilicet & italicam, sed quum de hac re aliunde non constet, unicam editionem

ver-

vernaculam huius anni, modo originali titulo, modo traducto indicari non dubito. Huiusmodi rei argumentum evidentissimum ex titulo & subscriptione huius ipsissimae editionis in 4. parvo apud Audiffredum loco cit. pag. 264. eruitur, in hoc enim *del bene morire* in illa *de arte moriendi* adpellatur, licet unicam italicam editionem anni 1477. respiciant. Consultius Fineschius aliam huius operis impressionem Ripulensem, sed italicam pariter, anni 1479., indicasset, de qua infra suo loco agemus.

XIIII. Regole gvarine, sive *Regulae Grammaticales* Baptistae Guarini (fol. 29. & 39. versis).

Impressae & venales erant die 21. Novembris. Alia editio Ripulensis ad annum 1482. inferius reperitur. Fineschius pag. 21. 50.

(N) XV. Orazione del Sangve di Cristo (fol. 31. recto) v. inferius Num. XXXX.

Sub die 15. Decembris occurrit. In eadem pag. Cod. *Orationes* quaedam pro Angelo caeco imprimendae memorantur, sed illas omittimus quod de impressione facta non constet, vel sub earum titulis, si tamen impressae fuere, suo loco fortasse referantur.

(N) XVI. Orazione della Bolla (fol. 31. verso).

Occurrit die 16. Decembris. Quid hoc nomine intelligatur hactenus vestigare otium mihi non fuit. Putaveram *Psalterium* B. M. Virginis vel *Rosarium* inuui, quod Sixti IV. *Bulla* adprobatum fuit in T. I. *Bullarii* existente, sed quum haec data fuerit anno 1479. & inferius ad annum 1481. in Ripulensi Typographia impressa videatur, aliam *Orationem* aliamque *Bullam* intelligere debemus.

(N) (*) XVII. Explanatio in Persii satyras Barptolemaei Fontii (fol. 33. recto).

Opus hoc imprimebatur die 23. Decembris & velut Persii textus in Cod. indicatur, licet nil aliud sit quam *explanatio* textus fragmentis inserta, quemadmodum vidimus in T. I. huius *Catalogi* col. 692. Editionem curavit suis impensis Bartolus minicularius. Innotuit Audiffredo *Specim. Edit. Italic. Saec. XV.* pag. 265.

1477. 1478.

XVIII. Confessione generale (fol. 1. verso N. 2. & fol. 65. recto).

Opusculum hoc regali charta, vulgo, *foglio reale*, imprimendum innotescit primum die 13. Ianuarii. Fineschius pag. 22. ad annum 1479. editionem hanc retulit quod illo venalis fol. 65. recto primum reperiatur; sed exiguae molis scriptum cuius imprimendi gratia iam a die 13. Ianuarii 1477. 1478. Bartolus chartarius papyrum suppeditaverat, ante id

tempus praelo exemptum fuisse videtur & probabiliter paulo post diem indicatum. In T. II. col. 13. huius *Catalogi*, sub *Interrogationis* titulo duo opuscula retulimus, sed an cum isto alterutrum conveniat facile diiudicari nequit.

(*) XVIIII. LEGGENDA DELLA B. CATERINA DA SIENA (fol. 13. recto).

Hoc opus Fr. Raymundi de Vineis Capuani italice traductum, a Typographis absolutum est die 24. Martii ut ex Cod. & subscriptione impressa in hoc *Catalogo* T. II. col. 65. patet. Ex omnibus Ripulensibus editionibus a me visis in hac tantum repperi nomina Fr. Dominici Pistoriensis & Fr. Petri Pisani impressorum. Fineschius pag. 18. 49.

1478.

(*) XX. QVINTO CVRZIO TRADOTTO DA PIETRO CANDIDO (fol. 1. verso N. 2.)

Iam die 12. Februarii huius anni folia, vulgo *fogli comuni*, pro hac editione parabantur, sed post diem 25. Martii absolutam fuisse ex nota chronologica 1478. subscriptioni inhaerente discimus. v. *Catalogum* nostrum T. I. col. 584. In Cod. fol. 32. verso memoratur sub die 14. Ianuarii 1477. (scilicet 1477. 1478.) sed 1477. pro 1478. irrepsisse puto, non enim existere potuit editio anno 1477. 1478. die 14. Ianuarii pro qua imprimenda die 12. mensis sequentis charta parabatur quaeque post diem 25. Martii ex subscriptione impressa absoluta adparet. Fineschius pag. 27. 50.

(*) XXI. CRISPVS SALLVSTIVS DE CONIVRATIONE CATILINAE ET BELLO IVGVRTHINO.

Huius nulla mentio in Cod. qui quum hanc aliasque notas Ripulenses editiones omittat, quod illas notare minime necesse fuerit Typographis, ita alias vel prorsus ignotas, vel loci indicio destitutas omitti non dubito, quas Bibliographorum studio huic Catalogo adiici posse confido. Exstat editio in nostra Bibliotheca illamque describimus in T. II. huius *Catalogi* col. 476. ubi notandum erat, partim in fol. partim in 4. plagulas occurrere, quod animadvertit Cl. P. Amoretti apud Audiffredum *Specim. Edit. Italic. Saec. XV.* pag. 274. Impressionis dies in subscriptione Typographica omittitur. Fineschius pag. 28. & 50. velut *Bellum Catilinarium* tantum hoc opus indicat.

XXII. C. PLINIVS DE VIRIS ILLVSTRIBVS.

Hoc opusculum in nostro Cod. pariter omittitur, sed refertur a Fineschio pag. 28. & 50. velut existens in Biblioth. Riccardiana. Exstat quoque Romae in Corsiniana illudque describit Audiffredus loco cit. pag. 237. verbis Excellen. B. Caietani V. Gonzagae alterius exempli possessoris, & ex his colligere est editionem in 4. factam fuisse.

(*) XXIII. C. Svetonivs Tranqvillvs de claris Grammaticis et Rhetoribvs.

In Cod. nullum indicium huius editionis quae velut existens in nostra Bibliotheca describitur in hoc T. III. col. 140. Innotuit Fineschio ut patet ex pag. 28. 50.

XXIIII. Libretto della morte di Givliano alias Lamento di Givliano (fol. 18. verso 49. & 52. rectis, & 3. recto N. 2.)

Die 10. Octobris primo occurrit. Ioannes Nati fil. hoc opusculum imprimi curavit. Fineschius pag. 29. illud memorat, sed primo repperit sub die 9. Novembris. Argumentum huius scripti Iuliani Medicei nex videtur, quae ob coniurationem Pactianam hoc anno in Maiori Templo Florentino accidit.

(N) XXV. Orazione dell'agnvs Deo. (fol. 47. verso).

Memoratur die 26. Decembris, v. inferius N. XXXVI.

1478. 1479.

(*) XXVI. Donati Acciaioli, expositio svper libros ethicorvm Aristotelis in novam tradvctionem Ioannis Argyropyli (fol. 32. & 18. versis).

Occurrit in Cod. fol. 32. verso citato sub die 14. Ianuarii 1477. (scilicet 1477. 1478.) sed 1477. ibid. pro 1478. (scilicet 1478. 1479.) irrepsisse videtur, ut ad Q. Curtium Num. XX. innuimus; & revera in subscriptione typographica, ut in T. I. huius *Catalogi* col. 11. videre est, exprimitur annus 1478. qui, diei 14. Ianuarii & stili Florentini ratione habita, est 1478. 1479. Fineschius pag. 26. 50. velut Aristotelis textum, cum *Commentario* Donati, opus hoc memorat, sed nil aliud nisi *Commentarium* Donati exhibet.

XXVII. Profezie di S. Brigida (fol. 52. recto & fol. 3. recto N. 2.)

Reperiuntur sub die 25. Ianuarii. Ioannes Nati eas imprimi curavit. Fineschius pag. 28.

(*) XXVIII. Vite de Pontefici e Imperatori Romani di Francesco Petrarca (fol. 55. & 18. versis).

Occurrit die 3. Februarii haec editio a nobis descripta in T. II. huius *Catalogi* col. 319. Fineschius pag. 27. 50.

XXVIIII. Libriccino di Donna, sive *Officium B. M. Virginis* (fol. 55. & 58. versis 67. recto).

Occurrit primo die 6. Februarii. Fineschius pag. 28. huius meminit editionis ad annum 1478., sed mirari subit in *Catalogo* pag. 51. ad annum 1482. eamdem retulisse.

1479.

XXX. Orazione (fol. 59 verso).

Haec pro Ioanne Nati imprimenda occurrit die 13. Iunii, nec de ea aliud certi mihi constat. Quod spectat ad Fineschium v. Num. II.

(N) XXXI. Confessione (fortasse *Conversione*) di S. Maria Maddalena (fol. 3. recto N. 2.)

Die 28. Iunii iam impressa fuerat pro Ioanne Nati.

(N) XXXII. Sette allegrezze (fol. 3. recto N. 2.)

Memorantur velut iam impressae die 28. Iunii pro Ioanne Nati laudato.

(N) XXXIII. Dell'arte del bene morire (fol. 60. recto).

Hanc editionem diversam esse ab illa N. XIII. ac proinde secundam Ripulensem, luculentissime patet. Illa siquidem anno 1477. die 4. Novembris impressa venalis prostabat, huius vero 400. exempla absoluta fuere die 24. Iulii 1479. Fineschius qui duplicem editionem anni 1477. existere suspicatus est, hanc rectius novisset, non tamen ut latinae editionis Ripulensis existentiam demonstraret, nam & hanc vernaculo sermone exprimi puto.

XXXIIII. Psalmi Poenitentiales cvm Litaniis, latine in 16. (fol. 64. 65. 84. rectis & 29. verso).

Reperiuntur die 7. Octobris. Fineschius pag. 29. 50.

XXXV. Salmi Penitenziali, vernaculo idiomate & carminibus expressi (fol. 64 65 101. rectis).

Occurrunt die 12. Octobris. Fineschius pag. 29. 50. carminibus rhythmis solutis traductos dicit sed ex Cod. carminibus exprimi tantum patet.

XXXVI. Sonetti dell'Agnvs Deo, vernaculo idiomate (fol. 65. recto).

Memorantur primo die 12. Octobris, & ab *Oratione* Num. XXV. opus diversum putarem, vel saltem illius opusculi versionem metricam, quod haec epigrammata, si plura tamen sunt, vulgari lingua ad distinctionem *Orationis* impressa dicantur. Fineschius pag. 29. Cod. verba quibus indicatur mille huiusmodi epigrammata pretio 25. solidorum tradita fuisse cuidam Fr. Benedicto ita accepisse videtur, ut numerum non ad exempla sed ad epigrammatum diversorum syllogem unicumque volumen referendum putaverit. Nec aliter Fineschii mentem ab Audiffredo *Specim. Edit. Italic.* pag. 278. interpretatam fuisse quisque noverit, numerum enim velut operis indicium quoddam ex Fineschio sumptum scrupulose servavit. Ne igitur aliquis schedulam fortasse ex unica parte epigramma impressum referentem pro iustae molis opere accipiat, sciat numerum ad exempla in Cod. referri, ut patet ex aliis operibus quae simul Fr. Benedicto tradita fuere, quorum exemplorum numerus, cum pretio, haud diversimode notatur.

1479.

1479. 1480.

XXXVII. Psalterivm (fol. 71. recto, 72. 73. versis, 74. recto & verso, 75. verso, 78. recto).

Occurrit die 25. Ianuarii. *Psalterii* quoque mentio habetur ante id tempus fol. 17. & 25. versis, non tamen editionem Ripulensem ibid. innui censeo. Notandum est fol. 78. recto, 93. & 104. versis vocari *Saltero Salmista* ad distinctionem parvi *Psalterii* pro puerulis de quo infra. Fineschius pag. 30. 50. editionem in fol. ad usum chori factam fuisse adfirmat, sed huius rei in Cod. nullum repperi argumentum imo ex tenui pretio 22. vel 25. solidorum aliter iudicare debemus. Audiffredus *Specim. Edit. Italic.* pag. 280. hoc *Psalterium* in collectione olim Abb. Nicolai de Rossi existens refert, cum typographica nota sine anno. Quod in 8. repererit & *Psalteria* quoque in fol. Ripulenses edidisse ex Fineschio didicisset, suspicatus est hoc illud esse, quod pro puerulis ibid. excusum fuit. Sed quum *Psalterium* in fol. respuendum videatur, illudque pro puerulis ab integro *Psalterio* opusculum longe diversum sit, ut cuilibet exploratum esse non dubito, & ex pretio inferius patebit, viro solertissimo adsentiri nequeo, sed hoc integrum *Psalterium* Ripulensis Typographiae esse certe iudico.

XXXVIII. Avrelii Avgvstini, Logica, in 8. (fol. 68. verso, 69. recto 75. verso).

Eius mentio primo habetur die 16. Decembris 1479. quo Bonifacius Perutius & Barptolemaeus Fontius circa impressionem huius operis syngrapham cum Fr. Dominico fecerunt, quae exstat fol. 68. verso. In hac statuitur plagularum numerus circiter 22. aut 24., exemplarium 200. forma autem vol. in 8. regalis chartae. Pro laboris pretio librae 10. promittuntur, eo die solvendae quo exempla absoluta Perutio traderentur. Quum igitur solutio pretii die 22. Februarii 1479. 1480. facta fuerit hoc ipso exempla tradita fuisse patet, ac proinde circa id tempus editio absoluta videtur, quamvis mense Decembris praecedentis anni inchoari potuisset. Fineschius pag. 29. 50. precibus Bonifacii Perutii opusculum hoc traductum fuisse dicit, idque ex syngrapha erui perperam adserit, quum revera chartam & pecuniam suppeditasse Bonifacium ex illa tantummodo constet. Quod opus latinum sit, diserte adparet ex Cl. Denisii *Supplem.* pag. 700. & Audiffredi *Specim. Edit. Italic. Saec. XV.* pag. 279. qui Fineschium deceptum fuisse non dubitat. Huic errori ansam praebuisse puto titulum italico idiomate in Cod. relatum, sed animadvertendum erat haud aliter referri titulos *Expositionis* Donati Acciaioli, *Psalterii*, aliorumque certe latinorum operum.

1479.

1480.

(N) XXXVIIII. Pistola della domenica (fol. 24. verso).

Haec pro quodam Antonio Lombardo agyrta imprimenda occurrit die 10. Aprilis. Bis minimum hanc *Epistolam* impressam fuisse in Ripulensi Typographia ex Cod. discimus; quae autem memorantur exempla fol. 88. verso & 131. recto diversae editionis ab hac & alia de qua inferius Num. XXXXV. certo iudicari nequeunt.

(N) XXXX. Sonetti del Sangve (fol. 8. recto N. 2.)

An unum, vel duo, aut plura epigrammata hoc titulo innuantur mihi non constat, ex verbis tamen Cod. exiguum opusculum esse videtur. Occurrit primo die 18. Maii pro Ioanne Nati iam impressum. Fortasse haec est italica versio metrica *Orationis* Num. XV. quemadmodum Num. XXXVI. versionem Numeri XXV. repraesentare suspicatus sum.

XXXXI. Orazioni (fol. 8. recto N. 2.)

Memorantur pro Ioanne Nati impressae die 18. Maii. Quod pertinet ad Fineschium, v. Num. II.

XXXXII. Cerbero (fol. 7. recto N. 2.)

De impressione huius operis pro Ioanne Nati facienda agitur primo sub die 19. Iunii, quamvis Fineschius pag. 47. 51. illud referat ad annum 1483. Chartam communem Pratensem iam suppeditaverat huius imprimendi gratia Ioannes die supradicto, nec, nisi certis documentis probari posset, multo post absolutum crederem, nedum anno 1483. adscribendum putarem.

XXXXIII. Savio Romano (fol. 7. recto N. 2.)

Die 19. Iunii opus hoc excudendum pro Ioanne Nati memoratur una cum praecedenti, imo folia ad utrumque imprimendum indistincte traduntur. Non maiori igitur ratione Fineschius pag. 47. 51. hoc pariter ad annum 1483. referendum putavit. Huius Codd. Mss. vide sis in *Catalogo Riccard.* Io Lamii pag. 348. Plura ad illustrationem tum huius tum aliorum operum in Ripulensi Typographia excusorum pertinentia adferre possem, quae brevitatis gratia, & quod alibi fortasse de illorum Mss. agere debeam, omittere statui.

(N) XXXXIIII. Vangelo di S. Giovanni con l'Orazione di S. Rocco (fol. 73. verso).

Antonius circulator circiter diem 15. Iulii arrham dedit pro 505. exemplis huius opusculi pretio 40. solidorum imprimendis. v. Num. LV.

(N) XXXXV. Pistola della Domenica (fol. 73. verso, 7. recto N. 2.)

Antonius circulator die 2. Augusti, necnon 7. eiusdem mensis ad

Epi-

Epistolam hanc imprimendam emendamque, pecuniam dedit. Ioannes Nati huius gratia chartam suppeditavit Typographis die 28. eiusdem, adeo ut diversa editio ab illa Num. XXXVIIII. videatur. Non tamen diversam editionem illam pro Antonio circulatore ab altera pro Ioanne Nati putarem, quod eodem mense occurrant & exigui opusculi typus integer paucis diebus servari potuisset. Non inficior tamen ex ipsa operis tenuitate duas editiones diversas in eodem mense admittere posse aliquem, facile enim pagella disiici iterumque coagmentari potest.

XXXXVI. Orazioni (fol. 73. verso).

Die 3. Augusti pro circulatore quodam anonymo impressae reperiuntur. An eadem editio sit cum Num. XXXXI. me nescire fateor. Cur Fineschio ignotas minime censeam Num. II. adparet.

XXXXVII. Lamento d'Otranto (fol. 8. recto N. 2. & fol. 77. verso).

Post diem 14. Augusti indicatur. Fineschius pag. 33. 50.

XXXXVIII. Orazioni (fol. 75. recto).

Pro Thoma quodam agyrta imprimendae occurrunt die 21. Augusti. An cum Num. XXXXI. XXXXVI. conveniant iudicare nequeo. Quod Fineschio invisas minime putem ratio suppetit Num. II.

XXXXVIIII. Salteruzzo da Fanciulli (fol. 7. recto & verso N. 2. 93. recto).

Ioannes Nati post diem 19. Iunii chartam huius imprimendi gratia Typographis transmittere coepit, aliam item suppeditavit die 7. Augusti, sed die 6. Septembris primum triginta exempla excusa accepit, idcirco opusculum hic retulimus quamvis aliquatenus praecessisse hoc tempus suspicari possimus. Tametsi fol. 25. verso sub die 7. Ianuarii 1477. 1478. parvi *Psalterii* mentio in Cod. habeatur, de editione Ripulensi ibidem agi nullatenus adparet. Fineschius pag. 31. 50. Huius pretium est quatuor solidorum ut ex folio 104. diserte patet, quod si Audiffredo una cum diminuto libelli titulo ex Fineschio, quemadmodum mihi ex Cod., innotescere potuisset, nequaquam integrum *Psalterium* pro parvo sumendum suspicatus esset ut vidimus Num. XXXVII.

(*) L. Statii, Silvae (fol. 76. recto).

Die 19. Octobris Barptolemaeus Fontius & Fr. Dominicus circa editionem paciscuntur, ut ex syngrapha in Cod. relata adparet. Eius perfectio ad diem 8. Novembris referri debet, hoc enim absolutam tradere Fontio Fr. Dominicus promisit. Fineschius pag. 31. 50., titulo italico deceptus, perperam arbitratus est a Barptolemaeo Fontio *Silvas* Statii traductas fuisse, italicamque versionem imprimendam ab ipso traditam Fr. Dominico Typographo. Audiffredus *Specim. Edit. italic.* pag. 280. recte haud verisimile habuit, quod a veritate certe alienum Fineschius autumat, ut in exemplo

nostrae

nostrae Bibliothecae T. II. col. 617. huius *Catalogi* descripto propriis oculis expertus sum.

LI. Orazioni (fol. 8. recto N. 2.)

Memorantur imprimendae pro circulatore anonymo die 15. Novembris. An aliquid commune habeant, cum Num. XXXXVIII. res admodum dubia est. Circa Fineschium v. Num. II.

(N) LII. Margvtte (fol. 8. verso 9. verso N. 2.)

Die 18. Novembris Ioannes Nati huius operis imprimendi caussa chartam Typographiae suppeditabat, iamque absolutum erat die 6. Decembris, quo 20. exempla Ioanni laudato primum tradita fuere. Editionem hanc me invenisse puto in *Specim. Edit. Italic.* Audiffredi pag. 395. sed opusculi titulus, scilicet *Margutte*, Cod. nostri auctoritate restituitur. Quum enim vir ille diligentissimus hoc poemation italicum 245. strophas continens ex *Morgante maiori* Aloysii Pulcii, ubi de Margutte agit, excerptas contemplaretur & in priori pagina Morgantis & Marguttis ligneis imaginibus adiecta nominum *Morgante Margutte* legeret, iconum indicium simulque operis titulum hisce tradi, ut videtur, arbitratus est, quasi haec *Morgantis* pars, ad distinctionem integri poematis *il Morgante Margutte* adpellaretur, quod ea tantummodo ad Marguttem spectantia contineret; quoties enim opusculum innuit, Morgantis, ceu principis nominis, unica adpellatione utitur. Ipso teste foliis 16. constat, cum tribus signaturis, scilicet a 2. b. b. 2., custodibus numerisque destituitur. Eius forma in 4. parvo, characteres rotundi, sed non insignis pulchritudinis, interpunctio vero nulla adparet, ex eoque defectu auctor laudatus argumentum sumit ad vetustatem editionis demonstrandam, sed non magis fortasse ad vetustatem pertinet, quam ad negligentiam & festinationem quae huiusmodi vulgaribus editionibus a circulatoribus parvo aere emendis comitabantur. Quamvis praefatus auctor de loco editionis dubitet, quod nullum huius rei indicium praeseferat, inter Florentinas tamen refert, quod a vero se multo magis aberrare putaverit, si alteri cuidam loco eam adscripsisset, nec dubito quin propensius Florentinis praelis adiudicasset, si in Cod. nostrum incidere potuisset.

(N) LIII. Sopprascritte di Lettere (fol. 9. recto N. 2.)

Pro Ioanne Nati iam impressae erant die 21. Novembris. Editionem Florentinam quam descripsimus in hoc *Catalogo* T. II. col. 631. diversam esse a Ripulensi ex nomine Innocentii VIII. anno 1484. electi inibi expresso manifeste patet.

LIIII. Regole Sipontine, sive *Regulae grammaticales* Nicolai Perotti Archiepiscopi Sipontini (fol. 8. verso, 9. recto & verso, 10. verso N. 2.)

Signa-

Signatur initium impressionis die 22. Novembris; exemplarium numerus notatur 418. Dominicus chartarius, Ioannes Nati, & Bartolus itidem chartarius eas imprimi curarunt. Fineschius pag. 47. 48. 51. ad annum 1483. hanc editionem refert, sed perperam, nam evidenter constat die 22. Novembris 1480. coeptam fuisse, nec post diem 9. Martii 1480. 1481. absoluta videtur, hoc enim Ioannes Nati 20. exempla impressa accepit.

LV. Orazione della Vergine Maria (fol. 78. recto).

Post diem 20. Decembris 1000. exempla pro agyrta quodam imprimenda memorantur & quodlibet folium integrum complecti debebat. Fineschius pag. 33. *Orationes* in laudem B. M. Virginis hoc anno impressas novit.

1480. 1481.

(N) LVI. Vangelo di S. Giovanni in 8. (fol. 79. recto).

Occurrit die 27. Februarii. Hanc diversam editionem puto ab illa Num. XXXXIIII., non tantum quod nulla hic habeatur mentio *Orationis S. Rocchi*, sed quod minoris, ob huiusmodi, ut videtur, diversitatem, venderetur, nam mille exempla huius editionis trium librarum pretio traduntur, & 500. illius duabus venumdabantur.

1481.

(*) LVII. Consiglio di Marsilio Ficino contro la pestilenza, in 4. (fol. 83. recto).

Die 6. Iulii Andreas chartarius ad opus hoc imprimendum chartam communem Fabrianensem balista obsignatam typographis subministravit. Certum est hoc anno editionem factam fuisse, vel saltem citra diem 24. Martii sequentis anni 1481. 1482. nam in subscriptione typographica, ut videre est T. I. col. 672. huius *Catalogi*, annus 1481. notatur. Fineschius pag. 36. 51.

LVIII. Vergine Maria del Rosario, scilicet imago xylographica ut Fineschio placet pag. 34. 51., vel fortassis aerea, non enim id tempori incongruum videtur (fol. 20. verso).

Die prima Augusti iam 1000. ex officina Ripulensi prodierant. Fratres S. Marci ut imprimerentur Typographis suaserunt, earumdemque plures emerunt.

LVIIII. Bolla del Rosario quae illa Sixti IIII. videtur, quam innuimus Num. XVI. (fol. 24. verso bis. 86. 100. rectis).

Iſte 4. Augusti imprimi coepit, ut ex fol. 24. verso patet ubi legitur, *Adi 4. dagosto 1481. si cominciò il Rosario*. Quae verba licet Fineschius pag. 34. de initio recitationis illius precis intellexerit, mihi tamen de editione *Bullae* intelligenda videntur, non tantum quod ab accepti & expensi Codice adnotatio illa prorsus aliena sit, sed quod paulo inferius *Bulla* velut iam praefata memoretur, nec alibi revera quam adlatis verbis retro indicata adpareat. Alius quoque titulus, nimirum *Bolla della Vergine Maria* in Cod. occurrit, hisque tribus unum opus indicari non dubito. Fineschius hanc *Bullam* fortasse adumbravit sub nomine *Brevium Pontificiorum* & *Indulgentiarum Rosarii* pag. 40., sed circa tempus impressionis certe hallucinatus esset, quod anno 1482. adscribi nequaquam debuisset. Videtur tamen ita editionem innuere ut secundam Ripulensem ad annum 1482. pertinere arbitratus sit, quamvis nullius praecedentis mentionem fecerit. Quidquid illi videatur ex Cod. unica *Bullae* editio anno 1481. iam venalis innotescit. Sixti IV. *Bullam* idem Fineschius pag. 34. in notula memorat, sed nullo pacto indicat Ripulensem impressionem.

LX. Carta de' Misterii del Rosario (fol. 85. 99. versis, 100. recto).

Mysteriorum, quae alias *Mysteriorum charta* dicuntur, mentio occurrit die 8. Octobris. Fortasse iconismis xylographicis vel aereis *Mysteria* haec repraesentabantur, ut chartae nomine videtur innui. A Fineschio pag. 34. 40. adumbrari puto sub titulo XV. *Mysteriorum*, sed velut anno 1482. iterum impressa fuissent, quamvis praecedentis editionis nullatenus meminerit. Ex hoc patet non lignea aut aerea tabula, sed opusculo characteribus expresso *mysteria* repraesentari iudicasse, cui opinioni refragari non audeo, nam si tabula exprimi crederet nullam secundae impressionis rationem haberet, tabulae enim variae impressiones una eademque censentur, licet diversis temporibus factae, nec nisi prioris, qua tempus existentiae tabulae probatur, ratio a Bibliographo habenda fuisset. Sed ut concedam characteribus *mysteria* exprimi de editione anni 1482. mihi plane non constat.

LXI. C. Valerii flacci, Argonavtica (fol. 87. recto).

Sub die 2. Novembris haec leguntur in Cod., *Bartolo adi 2. novembre ebbe dieci de valerii glio facti a lire cinque la lisima*. Quae verba de editione aliqua Valerii Flacci necessario intelligenda esse minime viderentur, nisi de ipsa aliunde constaret. Orlandius pag. 131., quodque plurimi faciendum est, Maittairius T. I. pag. 748. Valerii Flacci editionem *apud S. Iacobum de Ripoli* in 4. expressam sine anno luculenter adfert, velut sibi visam, notat enim custodibus & numeratione destitui, instrui vero signaturis, non quidem infra adpositis, sed ad

exte-

exteriorem ultimae lineae marginem, quemadmodum plurimae occurrunt in alia editione Ripulensi, nimirum *Expositionis* Donati Acciaioli, ut T. I. huius *Catalogi* col. 10. 11. animadvertimus. Quamtumvis mihi persuadere conatus sim a Fineschio pag. 33. *Valerii* nomen in Cod. relatum ex coniectura de Valerio Flacco intellectum fuisse, propterea que non magis de Flacco, quam de Maximo, aut alio quopiam sequioris aevi Scriptore aut opere accipiendum esse, Orlandii tamen & Maittairii auctoritas suspicionem prorsus exclusit, hi enim ex Cod. nostro vel Fineschio notitiam haurire nullatenus potuerunt, adeo ut coniecturam primo fecisse, vel alienam secutos fuisse dici nequeat. Editionem igitur Ripulensem Valerii Flacci, de qua nec diligentissimus Audiffredus *Specim. Edit. Italic.* pag. 282. dubitat, ob parvum fortasse exemplarium numerum temporisque in eadem iniuriam, Bibliographis fere ignotam, respuere non sinunt quae circa ipsam animadvertimus, sed magnum potius illius spectandae desiderium excitant. Quod autem Fineschius adserit, scilicet initio anni 1481. factam fuisse, eiusque mentionem haberi in Cod. mense Maii huius anni, mihi plagulas omnes Cod. haud defunctorie evolventi nullo pacto obvium fuit. Num Valerii Flacci nomen ad hunc mensem diserte legit? Ut id prorsus inficiari nolo, eo minus ante diem 2. Novembris editionem in Cod. memorari, nisi folia citentur, admittere in animo est. Mirari tandem subit in catalogo ad calcem editionem hanc plurimi faciendam omisisse.

LXII. Lamento di Pisa (fol. 87. recto).

Die 10. Novembris impressum occurrit opusculum, sive italicum poemation, de quo Fineschius pag. 35. 51.

(N) LXIII. Operetta del Tvrco (fol. 87. recto).

Post diem 10. Novembris reperitur.

LXIIII. S. Margherita, sive imago xylographica aut aerea S. Margaritae virginis & martyris (fol. 87. & 90. rectis, 93. verso, 94. recto, 100. verso).

Occurrit primo post 10. Novembris impressio duorum complexuum foliorum, vulgo *risme*, deinde notantur mense Decembris mille exempla in fol. imprimenda pro Ioanne Francisco circulatore, quae absoluta erant die 3. eiusdem mensis; postmodum, scilicet die 26. Martii sequentis anni, pro Ioanne Francisco laudato duae *risme* earumdem iconum impressae itidem memorantur, aliae denique traduntur Ioanni Nati. Fineschius pag. 35. 43. 51. ad annum 1483. has imagines retulit, velut *orationibus* iunctas & Margaritae Monialis Ripulensis cura praecipue impressas. Circa annum impressionis illi adsentiri nequeo, reliqua ex Cod. didicisse modo non memini. Plures fortasse diversaeque molis tabulae harum imaginum

Typographis imprimendae traditae fuere, & admodum probabile videtur *orationibus* haud destitui, quae praesertim fol. 90. recto integrum folium occupare dicuntur.

LXV. Operetta alias Istoria di erode, rhythmicis versibus italicis expressa in 4. & quatuor plagulis constans (fol. 88. verso).

Opusculum hoc nuncupatum *operetta di rode* imprimendum suscepit Fr. Dominicus pro Pigro quodam agyrta die prima Decembris, & exemplorum numerus statuitur 500. Fineschium pag. 36. poemation hoc in Cod. nuncupari *Re Rode* & sub hoc titulo diversa opuscula indicari minus recte adfirmasse puto.

LXVI. Orazione di S. Givliano (fol. 90. verso).

Die 24. Decembris 3000. exempla pro Barptolemaeo Pisano, cognomento *Baldaccio*, impressa occurrunt. Puto hanc secundam editionem esse *Orationis* de qua sub Num. XI. egimus. Fineschius qui primam non novit huius meminit pag. 36. ita tamen, ut non unam, sed plures *orationes* esse autumare videatur.

1481. 1482.

LXVII. Morgante (fol. 90. & 93. versis).

Hoc nomine indicari poema *Morgantis Maioris* Aloysii Pulcii vix dubium esse potest. Die 23. Februarii paginae huius operis conflabantur a Mariecta Moniali Ripulensi quae huius rei gratia hoc mense pluries stipendium accepit, adeo ut sub die 9. Martii 1480. 1481. *Morgante* pro *Margutte* in Cod. fol. 9. recto N. 2. irrepsisse pateat, non enim tunc temporis Morgantis poema excusum erat. Fineschius pag. 36. 51. hanc editionem memorat, decipitur tamen ubi pro die 23. Februarii, diem 23. Iulii notat, quo factum est, ut ipse, quique eius auctoritatem secuti sunt editionem praecedenti anno 1481. adscripserint, ut Audiffredus, qui pag. 282. *Specim. Edit. Italic.* suspicatur hanc editionem esse de qua in *Catalogo Pinell.* T. IV. pag. 291., quod quidem Pinellianum exemplum duabus plagulis in fine orbatum subscriptione typographica destituitur, si tamen integris inhaesit nec ab impressoribus omissa fuit.

1482.

LXVIII. Bellezze di Firenze (fol. 93. 94. 103. rectis).

Pro Bernardino circulatore impressae habentur die 26. Martii. De hoc opusculo Antonio Puccio adscripto, v. Fineschium pag. 39. 51.

LXVIIII. Vfizio de' morti (fol. 94. recto).

Sub

Sub die 3. Aprilis primo indicatur. Fineschius pag. 39. illius meminit, sed in catalogo ad calcem pro eodem perperam retulit *Officium B. M. Virginis* de quo egimus N. XXVIIII.

LXX. Centonovelle (fol. 95. verso, 112. recto, 119. recto & verso).

Imprimi coepit die 20. Aprilis, sed absolutum fuit die 13. Maii anni sequentis, ex quo patet laborem intermissum fuisse. Fineschius pag. 39. 51. illud memorat & die 3. Augusti eiusdem anni 1482. perfectum fuisse dicit, quod fortasse fol. 100. recto id innui arbitratus sit, ibi enim de manu extrema cuidam editioni imposita illo die agitur, nec absurdum est hanc respici, licet titulus omittatur, eaque de caussa hic opus retulimus. Si ita res se habet duplicem editionem admittere debemus, nam fol. 95. verso legitur, *Ricordo che adi 20. daprile* 1482. *si cominciò il centonovelle a stampare*, & fol. 112. recto, 1483. *Ricordo che martidi adi* 13. *di Maggio fu finito di stampare il cento a petitione di giovanni di nato disse per s. pier da pescia*. Quod verus titulus, scilicet genuinus & originalis huius operis sit, *Libro di Novelle e di bel parlar gentile contenente cento Novelle antiche*, quemadmodum Fineschius arbitratur, a veritate abludit, rectius enim dici debuit hunc illi a recentioribus inditum fuisse.

(N) LXXI. Orazione dell' Agnolo Raffaello 13. strophis, vulgo *stanze*, constans (fol. 96. recto).

Haec pro Antonio agyrta imprimenda die 30. Aprilis memoratur. Statuitur numerus 500. exemplarium & eorum quodlibet dimidium folii occupare debet. Die 4. Maii Antonius opusculum impressum accepit.

LXXII. Miracoli di nostra Donna (fol. 98. verso, 110. recto).

Primo innotescunt die 8. Iulii. Fineschius pag. 43. 51. illa refert ad annum 1483., sed animadvertendum est pag. 40. *Miracula B. Mariae Virginis* sub titulo *Rosari* retulisse & quidem, ut videtur, ceu noviter hoc anno impressa. Quidquid ei visum sit in hunc *Rosarii* titulum, veluti opusculo *miraculorum* inditum, me incidisse non memini, sed *Miracula* tantum *B. Mariae Virginis* anno 1482. iam excusa repperi. Haec fortasse *miracula* sunt, quae mss. citantur in *Vocabul.* Acad. Furfureorum, & ad annum circiter 1350. a Leonardo Salviato referuntur.

LXXIII. Regole gverrine (fol. 100. 109 rectis, 12. verso N. 2.)

Die 11. Septembris imprimi coeperunt, & die 5. Maii anni sequentis certe absolutae adparent, quamvis multo ante praelum deseruisse cuilibet facile persuasum erit. Haec secunda Ripulensis editio, prima sub Num XIIII. occurrit. Fineschius pag. 40. 51. An aliquantuli faciendum sit circa formam editionis quod legitur fol. 12. verso N. 2. nimirum, *Andrea Cartolaio adi* 27. *di Settembre ebbe paia tre di regole di Guerrino ALLIBRICINO* alii expendant; num prima editio diverse expressa fuit?

Valorium Ripulensibus praelis imprimi curasse, sed plures *Dialogos* tantum, adeo ut quidquid fasciculis indicatis adiectum fuit, vel secundis curis laudatorum virorum vel alienis, iure tribui possit. Quamvis iisdem typis reliqua Platonis *opera* impressa fuerint, non tamen ad Ripulensem Typographiam pertinere videntur, sed ad Laurentium Venetum tantum, qui post *Commentarium* Ficini in *Convivium* nomen suum hoc pacto notavit, *Impressum Florentie per Laurentium .uenetum.* quod in editionis recensione me omisisse ingenue fateor, quamvis aliam subscriptionem huic consonam ad calcem *Epistolarum* positam retulerim. Ex variis locis Cod. discimus a Fr. Dominico cum Laurentio Veneto societatem initam fuisse, & ex instrumento praefato luculenter adparet; editores enim *Dialogorum*, non tam cum Fr. Dominico, quam cum Laurentio, de impressione conveniunt; non tamen primatum in officina gessit, itaut fas illi fuerit nomen suum editionibus adponere, omisso quoque Ripulensis loci indicio. His positis, quum *Dialogorum* impressio, qua nullam Ripulensem posteriorem rationabiliter memoratam inveni, tempus dissolutionis illius Typographiae fere adtingat, nemo non videt reliqua Platonis *opera* indicatis fasciculis adiecta, a solo Laurentio iam sui iuris facto, quique desitae Typographiae characteres pecunia vel alio iure obtinere potuit, impressa fuisse, idcirco nomen illius inibi notatum absque Ripulensis Monasterii mentione occurrere, quod reipsa ad huius officinam, utpote iam deletam, haud pertinerent. Qui integram editionem Platonis diligenter inspexerit, haud aegre fatebitur non uno eodemque tempore factam fuisse, nec facile adsequetur rectius compingendorum fasciculorum rationem, diversa enim in variis exemplis reperitur. His addere libet aliquam diversitatem inter primos fasciculos & ceteros huius editionis Fineschio suboluisse.

(N) LXXXVI. Tractatus Rabbi Moysi de regimine sanitatis.

Editio haec in 4. rotundo charactere non ineleganti expressa qui varium linearum numerum in paginis implet a 26. ad 28., foliis 40. constat, cum solis signaturis A—E ex marginalibus notis, describitur ab Audiffredo *Specim. Edit. Italic.* pag. 382. Ultimo loco illam refero quod chronologica nota destituatur, nec tempus impressionis ex Cod. hauriri possit, qui altum de ipsa silentium servat.

Post diem 18. Septembris 1484. nil in Cod. notatur, adeo ut circa id tempus celebris iam Typographia Fr. Dominico parente & administratore solertissimo orbata omnino corruisse videtur. An Fr. Vincentii Brunetti eius successoris vel Monalium voluntati, sive potius sortis iacturae, vel Praesulum iussibus, illius fatum tribuendum sit, alio fortasse tempore patebit, nunc tantum animadvertam nullum post Dominici obitum quantumvis exiguum opusculum impressum fuisse, sed officinam aliquantulum

per-

permansisse ut iam excusa opera venderentur. Ex Cod. fol. 127. recto Fr. Dominicus die 19. Augusti 1484. iam vita functus adparet, hoc enim Fr. Vincentius velut iam procurator Monasterii Ripulensis scrinium illius se aperuisse ex eoque pecuniam sumpsisse testatur.

EDITIONES DVBIAE, SVPPOSITAE, COMMENTITIAE.

I. Chervbini de Spoleto, compendiosa regvla vitae spiritvalis et Regvla vitae matrimonialis, italice.

De huiusmodi editione velut existente in Biblioth. D. Adnunciatae, PP. Ord. Servorum, agit patriae historiae amantissimus Dominicus Morenius in *Epistola* edita in *Ephemerid. Litter. Florent.* ad annum 1791. col. 65. & seq., eamque P. Irenaei Affò auctoritate ex Ripulensi Typographia anno 1478. prodiise adfirmat. Ne quid igitur temere aut confidenter Ripulensibus editionibus insererem, Bibliothecam adii, editionem inspexi, in qua revera manu recenti annus 1478. & Ripulensis Typographiae notitia exprimitur. Quibus rationibus adductus diligentissimus P. Affò editionem Ripulensibus praelis adiudicaverit me penitus latet, arbitror tamen potiores illi non defuisse ea, quae ipsius auctoritati subiungitur, nimirum iisdem fere characteribus exprimi quibus *Sallustius* eiusdem Typographiae; mihi enim utramque editionem consideranti, aliter sane visum est. Quod Cherubini opus ex nostra Typographia prodierit anno 1483. ex Cod. perspicue eruitur, de hac vero antecedenti impressione nullo pacto agitur, sed non ideo respuendam esse rebar, quum de aliis quibusdam exploratissimis editionibus, ut vidimus, altum inibi silentium servetur. Huius tamen silentii gratia novam conlationem instituere placuit, cum editionibus, praesertim eiusdem operis, Nicolai Alemanni anni 1482. & 1483. adeoque illis similem esse deprehendi, ut mihi licere non dubitem huic Typographo editionem adscribere, donec validiora argumenta pro Ripulensi Typographia adferantur.

II. Mamotrectvs.

Qua ratione Fineschius pag. 28. 50. *Mamotrecti* editionem anni 1478. Typographiae nostrae certo adiudicet, nescio. Unicum exemplum huius operis fol. 100. recto & verso ad annum 1482. in Cod. memoratur, quod Ioannes Nati pretio trium librarum cum dimidio tradit Ripulensibus die 20. Iulii, idemque die 27. Augusti consuendum tegendumque accipit Antonius Nicolai bibliopegus. Audiffredus *Specim. Edit. Italic. Saec. XV.* pag. 275. & ipse optimis argumentis commentitiam huiusmodi editionem explodit.

(*) III. Angeli Politiani, coniuratio pactiana.

Editionem hanc anni 1478., de qua in nostro *Catalogo* T. II. col. 394. Cl. P. Amoretti apud Audiffredum loco cit. pag. 277. iisdem characteribus, quibus Fontii *Explanatio in Persium* exprimitur, cusam fuisse testatur. Inter dubias tamen recensere libet, quod mihi utrumque opus haud defunctorie consideranti, similis character, sed non idem visus sit. Ex pluribus diversitatibus duas advertere satis esto, scilicet formam litterae M quadratae, quae ab illa in Fontii opere adhibita valde differt, & litteram iod puncto ut plurimum destitutam, quod in altera editione minime accidit.

IIII. Vite de' Santi Padri.

Fineschius pag. 28. hoc opus a Ripulensibus excusum adserit anno 1478. De eo tamen nil aliud repperi in Cod. nisi fol. 52. recto commodatum fuisse Clementi aurifici die 5. Ianuarii 1478. 1479., & fol. 57. verso memoratur opus cui titulus, *Statuti de SS. Padri*, quod die 23. Martii eiusdem anni bibliopego cum aliis voluminibus consuendum traditum fuerat, nec alibi mentio exempli venditi vel in officina impressi habetur. Ex hoc argui potest de Cod. fortasse mss. vel de externa editione agi, constat enim ex Cod. plura volumina mss. vel alibi impressa penes Ripulenses exstitisse, quorum aliquot ipse Fineschius pag. 40. commemorat, nec Typographiae nostrae adscribit, quamvis eodem pacto vel parum diverse referantur. Audiffredus diligentissimus in *Specim. Edit. Italic.* pag. 275. de hac editione nullum dubitandi locum videri arbitratus est, sed aliter iudicasset, si fundamenta quibus nititur, quemadmodum nobis, propius inspicere illi datum fuisset.

V. Sermoni di S. Giovanni Grisostomo.

Fineschius pag. 29. 50. ad annum 1479. editionem istam refert, velut sibi invisam, quod ceteris etiam Bibliographis contigisse libentissime concedam. In Cod. fol. 63. verso sub die 24. Novembris 1479. hi *Sermones* vernaculo titulo indicantur, sed tantum abest ut ex Ripulensi Typographia editi adpareant, quin certe vel alio impressi vel mss. noscuntur, utpote adventitii; Typographi enim horum exemplum acceperunt a Dominico chartario pecuniae loco quam illis debebat, nec amplius memorantur.

VI. S. Antonini, defecerunt, sive *Summula Confessionis*, italice.

Fineschius pag. 29. 50. opus hoc anno 1479. ex Ripulensi Typographia prodiisse adfirmat non tam Cod. auctoritate, quam ob editionem in domestica S. Mariae Novellae Bibliotheca a se repertam, quam ex charactere Ripulensem iudicavit, sed in his omnibus valde hallucinatus est. Ut a Cod. exordiar, en quomodo de huiusmodi opere in illo agatur. Fol. 67. recto ante diem 15. Martii 1479. 1480. Clemens chartarius se

exem-

exemplum consuendum accepisse fatetur his verbis propria manu scriptis, *Io chimenti dantonio kartolaio tegho aleghare u libro defecerunt dell arcivescovo Antonino per soldi disciotto legha in asse coperto mezzo co dua serrami omene a torre libri*. Paulo inferius Fr. Dominicus notavit, *Adi* 15. *marzo riebbi el detto libro e prima riebbi il defecerunt*. Folio 68. recto legitur, *Chimenti suddetto ebbe adi di gennaio* (nimirum 1479. 1480.) *uno defecerunt*. Quis sane de impresso volumine potius quam de mss. agi indubitanter credat, nedum Ripulensem editionem perspicue indicatam legat? Fol. 85. recto ad annum 1481. huius operis exemplum mss. luculenter memoratur his verbis, *Ricordo che adi* 19 *dagosto decti il defecerunt in volgare & in carta pegorina in penna a frate nicholo da tabia di santo marcho acciò me lo corregiesse*. Fortasse hoc est idem exemplum de quo superius in Cod. mentio habetur. Quod spectat ad editionem a Finesehio visam, Bibliothecam S. Mariae Novellae invisere haud neglexi, librumque propriis oculis usurpavi, sed nil aliud esse comperi nisi ipsissimam editionem, & quidem in 4., Francisci Dini, quam descripseram in T. I. huius *Catalogi* col. 112. Nec mirari subit notam typographicam Fineschium fugisse, qui primam & extremam voluminis paginam tantum inspexit, tres enim plagulae iisdem typis expressae, quae *excommunicationum* notitiam continent, post typographicam notam occurrunt velut operis corollarium, quaeque hisce verbis tantum desinunt, *Amen Deo gratias*.

VII. Evangelistari *ed.* Epistolari.

Haec Fineschius pag. 31. 50. refert ad annum 1480., sed quum in Cod. nisi memoria me fefellit, nullo pacto indicata repererim, nec de eorum existentia impraesentiarum aliunde mihi constet, illa, ad tempus saltem, a Ripulensium editionum albo expungere liceat.

VIII. Phalaridis epistolae, e graeco traductae a Francisco Arretino.

Fineschius pag. 32. suspicatur ad Ripulensem Typographiam editionem quamdam Florentinam anni 1480. pertinere posse. Quod a Leonardo Arretino, quemadmodum dicit, traductae fuerint veritati absonum est, nam versio pertinet ad Franciscum Accoltum Leonardi conterraneum, quod autem ad nostram fortasse Typographiam spectet indicata editio, nisi suspicionis rationes, & quidem optimae, innotescant, nec tantillum eidem adsentiri in animo est.

VIIII. Piero Crescenzio, dell'Agricoltvra.

Fineschius pag. 37. 51. ex verbis Cod. erui arbitratus est a Ripulensibus hoc opus excusum fuisse, retulitque editionem ad annum 1481. Mihi Cod. diligenter inquirenti nullum huius rei argumentum obvium fuit. Folio 80. memoratur quidem exemplum *Agriculturae* Crescentii sub die 19.

Martii 1480. 1481. sed velut a Petro Pacinio Pisciensi acceptum pecuniae loco, nec constat an impressum vel mss. fuerit. Prodiit idem opus Florentiae anno 1478. ex Typographia Nicolai Alemanni, & fortasse de exemplo huius editionis agitur. Idem Fineschius Petri Crescentii opus pag. 40. memorat non ut Ripulensem editionem, sed inter libros quos Ripulenses possederant, quod pag. 51. meminisse debebat, non enim exemplum ab hoc diversum notatur in Cod. qui semel opus indicat.

X. Svmma Pisanella.

Editionem huius operis anni 1482. Fineschius pag. 39. diserte eidem officinae tribuit, sed in Cod. fol. 100. recto & verso necnon 101. recto unicum exemplum huius operis memoratur, quod die 20. Iulii 1482. una cum *Mamotrecto* de quo superius, Ripulensibus seu Fr. Dominico vendit Ioannes Nati, idemque consuendum tegendumque accipit die 27. Augusti Franciscus vocatus Mancinus bibliopegus, eique dantur pro laboris pretio exemplum libri vulgo *da compagnie*, *Psalmi poenitentiales* duoque solidi. An haec Ripulensem editionem innuant cuilibet facile patebit. Sed valde mirum est quod Fineschius addit, scilicet Maittairio ignotum fuisse editionem anni 1482. ad S. Iacobum de Ripulis pertinere; si enim ex T. I. *Annal.* pag. 435. integrum *Summae* titulum hausit, quemadmodum adparet, quomodo ignorare potuit Reutlingae editionem factam fuisse ut ibid. notatur? Num Reutlingae Ripulense Monasterium situm erat, vel Typographi Ripulenses aliquandiu Reutlingae constiterunt? Nisi absurdum hoc probetur, sciens prudensque Maittairius ignoravit quod nullatenus scire contra evidentiam potuisset.

XI. Marsilii Ficini, de Christiana Religione, latine.

Editio huiusmodi sine notis typographicis, quam in T. I. huius *Catalogi* col. 669. recensui, teste praefato Morenio in *Epistola* de qua superius sub Num. I. egimus, a Bibliographicae rei peritis, characterum scrupulosa conlatione facta, Ripulensi Typographiae adiudicatur. Audiffredus *Specim. Edit. Italic. Saec. XV.* pag. 370. diverse opinatur, in huius enim characteribus analogiam repperit cum charactere Servii a Cenninis editi ann. 1471. & 1472. & ex eorum officina vel schola prodiisse librum a vero non abhorrere existimat. Quum igitur typorum argumento, haud spernendo sane, tantummodo utantur, mihi eodem uti liceat ad editionem Nicolao Alemanno tribuendam, nam certe iisdem characteribus exprimi videtur, quos in pluribus editionibus hic Typographus adhibuit.

XII. Marsilio Ficino, della Cristiana Religione, sive praecedentis operis versio italica ab ipso auctore adornata.

Hanc pariter editionem descripsimus in T. I. huius *Catalogi* col. 670. iisdemque argumentis in citata *Epistola* Morenii Ripulensium Typogra-

phorum

phorum industria factam fuisse quidam Bibliographi autumarunt. Sed & Crevenna in *Novo Catal.*, ut loco cit. post descriptionem notavimus, quamvis Audiffredus *Specim. Edit. Italic.* pag. 371. ab illo relatam fuisse neget, Ripulensi Typographiae vel Nicolao Alemanno adscribendam esse censuit, iamque secundae opinioni me potius adhaesurum innui, modoque in eadem confirmant, tum nova collatio, tum ipse Audiffredus qui cum praecedenti convenire adfirmat, quamvis de utriusque Typographo aliter sentiat.

Editiones illas hic omittendas esse duxi quas Fineschius ex parum adcurata Cod. lectura, quamvis nullas, veris indubitatisque substituit, ut ex. gr. *Psalterium* in fol. ad usum chori &c., tum quod numerum editionum reipsa non augeant, nam falsum pro vero tantum obtrudunt, tum quod eas iam reiecerim quoties illas cuius locum usurpaverant velut postliminio Ripulensi catalogo restitui curavi.. Nullam praeterea rationem habui plurium operum & editionum quae in Cod. nostro memorantur, licet iisdem futilibus argumentis, quibus *Mamotrectus*, *Pisanella* &c. a Fineschio Typographiae nostrae tribuuntur, eidem adiudicari possent, nam prorsus inane mihi visum est de istis agere, quod Ripulensibus Typographis a nemine adscribantur. Plures tandem tum sinceras tum apocryphas editiones aliorum studio adiici & hactenus recensitas amplius illustrari posse non inficior; quis enim ex Bibliothecarum penetralibus ac praecipue miscellis voluminibus, aliqua saltem ex rarissimis opusculis huius Typographiae aliquando erumpere posse Bibliographorum diligentiae occursura desperet? Utinam Audiffredus brevitatis gratia omittere noluisset distinctam opusculorum notitiam quae in Cod. Miscellaneo Biblioth. Casanatensis pag. 396. sui *Specim. Edit. Italic.* servari tradit! Fortasse aliqua ad historiam Typographiae nostrae spectantia adhuc in ipso delitescunt.

Sed quum iam Ripulensibus editionibus satis datum sit, & orationis finem adesse noverim, paucis illam claudere operae pretium arbitror, quae Audiffredus *Specim. Edit. Italic.* nuper cit. circa T. I. mei huiusce *Catalogi* notavit. Folio itaque 380. nimiae liberalitatis me accusat, quod in *Ethica* Aristotelis ex versione Argyropyli, Florentiae a Nicolao Alemanno excusa, cuivis scapo custodem tribuerim, in quo me certe errasse fateor, nihilominus dum vir adcuratissimus a scapo littera f signato custodem excludit nimis parcus mihi videtur, quod in illo sane repererim. Pag. 389. in Euripidis editione Florentina litteris quadratis expressa notat, quod loco signaturae N scripserim M quae in Cod. haud existit, quod de Corsiniano exemplo verum esse non diffiteor, in Magliabechiano autem signaturam M adeo conspicatus sum ut scripti non me poeniteat.

Formam

Formam voluminis quam in editione Florentina opusculi Fei Belcarii pag. 423. me omisisse iure observat, ad calcem huius voluminis inter mendorum correctiones supplevi, nam pagina vix praelo exempta, mihi defectus innotuerat. Tandem ingenue fatebor quod pag. 378. de *Scala vitae spiritualis* Dominici Benivenii, me adnotante, dicit, ob mancum exemplum quod tunc mihi describendum se se obtulit, parvi faciendum esse, nisi cum illis conferatur quae in T. II. col. 862. ex integro exemplo serius adquisito, sumpta, retuli. Ut Benivenii opus, alia quoque Bibliothecae volumina, temporis edacitate vel longa possessorum incuria discerpta aut foedata, instaurari posse confido; non enim descriptis hactenus editionibus Magliabechianae collectioni fastigium imponitur, sed novis quotidie adcessionibus ultra progreditur, ut praeter alias, quae iam absoluto *Catalogo* illi addita sunt, argumento esse potest princeps editio Senecae Neapolitana Matthiae Moravi anni 1475., de quibus aliisque Bibliothecae nostrae interim obventuris, dummodo vita viresque suppetant, alio tempore me equidem acturum non despero.

MONITVM

Absoluto iam priore huius *Catalogi* volumine, quum fama ad meas aures pervenisset SS. PIVM VI. P. M. eiusmodi studia ardenter excolere ac Bibliographicam scientiam omnem, locupletissima collectione veterum principum editionum comparata & in domesticam Bibliothecam inlata, impense fovere; illud, qualecumque fuerit, ad ipsum transmittere curavi, ratus ea qua praeditus est benignitate, non dedignaturum meum hunc laborem, sed humaniter potius fore excepturum.

Et re quidem vera non mea me fefellit opinio, tantum enim abfuit ut me reprehenderet, quod hisce chartis illum adire non sim veritus, quin potius iter inceptum commendavit meamque excitavit industriam litteris datis prid. id. Februar. praeteriti anni, quibus ad progressum operis currenti calcaria addidisse ultro lubensque fatebor.

Si quid igitur limatius politiusque in duobus hisce quae sequuntur voluminibus Lector invenerit, non tam amicorum benevolentiae, quam vel maxime Summi Pontificis incitamentis, quibus vix dici potest quantum me refici ac recreari sentiam, acceptum referre meminerit; quarum litterarum exemplum ad calcem huius moniti adnectere sum iussus.

PIVS PP. VI.

Dilecte Fili salutem, & Apostolicam Benedictionem. Non sine virorum literatorum commoditate operam navas, ut quisque facile teneat quotquot in Bibliotheca Magliabechiana tuis credita curis adserventur volumina Saec. XV. typographicis formis excusa. Primam operis partem Sestinius attulit Nobis una cum literis tuis officii plenis. Suspeximus voluminis molem; typorum nitorem probavimus; munusque tuum externa quoque elegantia ornatum deprehendimus, quae perspectius efficit tuae in Nos observantiae studium. Laetum ac nomini tuo honorificum optamus operis exitum, in quod tam diligenter incumbis. Quae vero ad te delata fuerunt de non exigua voluminum huius generis copia, quam in domesticam nostram bibliothecam contulimus, ea ita volumus accipias, ut ad iuvanda eruditionis tuae studia, quantum locorum distantia sinit, collectionem nostram tibi semper apertam intelligas: interim paterni gratique animi in te nostri argumentum damus Apostolicam Benedictionem, quam tibi, dilecte Fili, intimo cordis affectu, ac peramanter impertimur.

Datum Romae apud S. Petrum pridie Idus Februarias 1794. *Pontificatus nostri anno decimonono.*

Callistus Marinius a latinis Epistolis Sanctissimi

A tergo

Dilecto Filio Ferdinando Fossio *Florentiam*

CATALOGUS

CODICUM SAECULO XV. IMPRESSORUM PUBLICAE BIBLIOTHECAE MAGLIABECHIANAE

QUI NOVISSIME ADCESSERE VEL SERIVS REPERTI SVNT.

ABA

ABANO (*Petri de*), *Tractatus de venenis*, Paduae 1473. in 4. min. Nullo indicio signaturarum, custodum & numerationis a Bibliopoeo compingi possunt huius libelli plagulae, quae bis numeratae 29. adparent. Rotundo charactere nitido usus est impressor, qui paginas construxit lineis 26. Initiales nonnisi pictae occurrunt, quum spatia tantum earum loco adessent; charta firma & polita signatur figura librae. In priori pagina incipit tabula capitum titulo huic subiecta, TRACTATVS DE VENENIS. A MAGISTRO PETRO DE ABBANO EDITVS. Desinit haec fol. 2. verso, 3. autem recto incipit caput primum sive prologus ad Romanum quemdam Pontificem, ut vidimus in editione Mantuana eiusdem anni T. I. col 1. Titulus eidem adponitur, DE PROLOGO CAPITVLVM. I. Opusculo & additione DE LAPIDE BEGAAR EX PANDECTIS absolutis, legitur,

FINITVM
PADVE ANNO DO
MINI. M.CCCC.LXXIII.
DEO GRATIAS.

Cl. Denis in *Supplem.* pag. 19. editionis huius meminit, & ex eodem colligere est in aliquibus exemplis coniungi aliis duobus opusculis, Arnaldi scilicet Villanovani, & Valasti de Tarenta quemadmodum in Mantuana editione vidimus.

—— Alia editio, Romae 1475. in 4. min. Quod adtinet ad notas, quae marginibus insculptae ordinem scaporum & plagularum servant, nil dicendum occurrit, nam prorsus desiderantur. Initialium quoque defectus adparet, nulla enim exstat impressa. Character rotundus conspicuus lineas 21. in paginis integris aliquot complectitur, non omnes siquidem rimatus sum. Foliis absolvitur opusculum 51. quae chirotheca & aliis signis praedita sunt. Incipit tabula a priori pagina & huiusmodi subiacet inscriptioni, *Tabula tractatus Petri de Abano de Remediis venenorum*. Absolvitur tertio folio recto illamque excipit immediate prologus. Ad calcem additionis *de lapide Begaar* legitur primo, *Finiunt Petri de Abano remedia uenenorum*, ac deinceps, *Rome in domo Nobilis uiri Iohannis Philipi* (sic) *de Lignamine Messañ. S D N familiaris. hic tractatus impressus est. Anno domini. MCCCCLXXV. DIE XXVII. Mensis Ianuarii Pont. Sixti IIII. Anno eius quarto*. Registrum & vacua pagina

adcedunt. Folium septimum nostri exempli diverso charactere rotundo eoque minori exprimitur, licet antiqui moduli nec tempori incongruo adpareat; charta eiusdem diversa pariter a reliqua libelli est, & lineas perpendiculares, quemadmodum editiones in 8. ostendit; adeo ut manifestum sit opusculi supplendi gratia excusam fuisse posterius & characterum priscam formam in eadem adfectari; vix enim credi potest ex alia editione sumptam esse, quum exacte defectum exempli nostri metiatur & suppleat. Cl. Audiffredus pag. 193. exemplum describit huius editionis, quod cum *opere* Benedicti de Nursia *de conservatione Sanitatis* secundo loco coniungitur, & reipsa coniungi debet, ut ex *epistola* nuncupatoria priori praefixa patet; separate tamen ab illo hoc describimus, licet Nursini etiam opusculum in nostra Bibliotheca exstet, ut videre est T. II. col. 244., tum quod Aponensis Tractatus eo tempore quo aliud recensuimus desideraretur, tum quod revera separari possint; ut constat ex prioris opusculi exemplis quae nullam *epistolam* nuncupatoriam praefixam habent, quorum unum in Bibliotheca exstans loco citato col. 243. descripsimus.

—— Alia editio, Romae 1490. in 4. min. Signaturarum seriem expressit typographus litteris a—c cum num. rom. min., sed foliorum numeros & custodes adponere marginibus neglexit. Character gothicus in quavis pagina integra 33. complectitur lineas. Initiales uncialibus formis descriptae sunt; charta obsignatur figura triplicem tiaram quodammodo exprimente, quae quum circulo includatur, crucem linearem ex eminentiori cacumine procedentem & peripheriam excedentem exhibet. Praecedit tabula quae fol. 1. verso inchoat ab huiusmodi titulo, *Tractatus de Venenis: a magistro Petro de Albano* (sic) *edit⁹*. In reliquis praecedenti consonat, sed ad calcem verba ista leguntur, *Finit tractat⁹ utilissimus de venenis per magistrū Petrū de Abbano ↄpositus. Impressus Rome Anno dñi. M. cccc. lxxxx. die vō. xvii. Marcij*. Audiffredus huius editionis meminit pag. 292.

Acciaioli (*Donati*), *Vitae* Alcibiadis, Hannibalis, Scipionis Africani & Demetrij, ex graeco Plutarchi in latinum traductae; adcedit eiusdem *Vita* Caroli Magni, Venetiis 1491. Exstant cum aliis *Vitis* a Plutarcho scriptis, vel Plutarcho tributis, v. *Plutarchi*. Conf. T. I. huius *Catalogi* col. 11.

Accolti (*Francisci*), Versio latina *Epistolarum* Diogenis, Florentiae 1487. v. *Diogenis*.

Aegidii *Romani*, *De Regimine principum*, 1473. sine loci & typographi notitia in fol. mai. Editio haec mirae elegantiae si typorum rotundorum praestantiam delectum vel chartae pulchritudinem spectes, divisis columnis exprimitur; & in qualibet earum plena lineae 54. numerantur. Initiales xylographicae lineares illuminatoris artificio indigent qui superficiem interlinearem minio repleat, prima vero & secunda, necnon princeps Libri III. ceteris magnitudine praestant & florenti spatio quadrato includuntur; nonnullae tamen desunt. Marginales notae penitus desiderantur, dummodo excipias inscriptiones uncialibus typis in superioribus marginibus cusas; pro chartae signo rosam in pluribus paginis conspicatus sum. Forma litterae H notabilis est, quod horizontalis huius linea arcuata graecum Ω quodammodo imitetur; litterae i punctum nullum superimponitur. Foliis constat Vol. 129. & in eorum prima facie *Prologus in librum de Regimine principum. editus a fratre Egidio romano. ordinis fratrum heremitarū sancti Augustini incipit feliciter*. Subduntur prologo capitum rubricae quae ad folium quartum rectum usque procedunt, & eidem verso nil imprimitur. Quinto igitur opus exorditur ab hoc prioris capitis titulo, *Quis sit*

mo-

modus procedendi in regimine principum *Ca. i.* Opere absoluto haec adsunt legenda, *Egidii romani. Libri numero tres de regimine principum. Arte quidem impressoria exarati finiunt feliciter. Anno a partu virginis salutifero. Millesimo quadringentesimoseptuagesimotercio. Vicesimaseptima mensis Iunii.* Pagina superest quae nullo inficitur charactere. Cl. Braun qui P. I. pag. 154. editionem hanc velut insignis raritatis praedicat, & omnium primam huius operis, ad Guntherum Zainer Augustensem typographum pertinere proculdubio, ex alterius editionis Guntheri conlatione, adserit, & editionem Romanam anni 1472. a nonnullis memoratam explodit, utpote quae ad annum 1482. referri debeat ut Maittairius censet, & quidem recte, ut luculenter patet ex Cl. Audiffredo qui illam anni 1482. pag. 251. refert, nec aliam novit.

Aeschinis, *Oratio contra Ctesiphontem de Demosthenis coronatione* & *Epistola* ad Senatum populumque Atheniensem, Leonardo Bruno Arretino interprete, (Norimbergae) 1497. Exstant cum Ciceronis Libris *de Oratore* &c. v. *Ciceronis.*

Aesopi, *Fabulae* cum eiusdem *Vita* a Maximo Planude scripta, ex latina versione Rinucii Thettali, Mediolani 1474. in 4. min. Libelli huius scapi adsui nequeunt signaturarum indicio, nec foliorum connexio, custodum aut numerationis ope dignoscitur, quum typographus vacuas reliquerit omnino margines. Charactere usus est semigothico nitido non admodum obvio, eoque lineas implevit 27. in unaquaque ex integris paginis; spatia pro graecis characteribus & initialibus principibus occurrunt; papyrus firma satis rosae obsignatur figura. Foliis 48. absolvitur opus integrum & in prima pagina statim incipit prooemium quod titulo hoc praeditum est, *Vita Esopi fabulatoris clarissimi e greco latina per Rimicium facta ad Reuerendissimum patrem dñm Antonium tituli sancti Chrysogoni presbiterum Cardinalem. Et primo probemium.* Ad calcem exstat *Totius operis anacephaleosis* ad eumdem Cardinalem directa qua absoluta huiusmodi legitur epigramma,

Verba libri ad emptorem.
Si placet hybernas libris tibi fallere noctes:
Non alium queras. ipse satisfaciam.
Esopi invenies et dicta et facta legendo:
Que risum mesto cuiq; mouere queant.
Et qui me e greco uoluit fecisse latinum
Doctus erat. lege me. non tibi uilis ero:

Sequitur notitia chronologica & typographica, nimirum, *Impᵒssit Mlᵒi Antoniᵒ. Zarotᵒ pᵒmensis Mccccclxxiiii.* Editionem hanc Saxio ignotam excitavit Lairius in *Catalog. Libror.* edit. ann. 1791. P. I. pag. 322.

Alberti *Magni*, *Summa de Eucharistiae Sacramento*, Ulmae 1474. in fol. parvo. Character semigothici moduli in paginis integris lineas 35. adimplet. Custodes & signaturae absunt, numeri autem plagularum habentur ii—clxxv. sed priores septem excludunt. Signum alias descriptum bubuli capitis e quo linea surgit in stellam desinens chartae firmae sed subobscurae inhaeret. Initiales lineares visuntur earumque superficies a penicillo colore inficiendae. Prima pagina statim incipit tabula cui praefigitur titulus, *Sũma prelucidissima de mirabili eucaristie sacramẽto disputabilis & pᵒdicabilis deuotissimi fratris alberti magni de ordinis frat℞ predicato℞ pᵒfessione incipit.* Septimo fol. recto tabula desinit titulusque operis eidem subiicitur qui huiusmodi constat verbis, *Summa* (*Fratris alberti Magni! Ratisponeñ. qᵒndam Epᵒi professione ordĩs predicato℞*) *in sacramẽti eucaristie tractatulum! ipsius in gñe difficultates vtilitatesq; disputabiliter pertractans! multiplicibus efficacissimisq; donis opᵒantibus. in donantis largitate ꝯtentiuis! ad laudem dei feliciter compilata incipit.*) Post vacuam paginam prima operis occurrit quae margines superiorem

& internam floribus lignea forma expressis ornatas exhibet; titulus immediate praefigitur prooemio, *Tractatus ī p⁹hemio de diūsis sac⁹menti noīb⁹ in quib⁹ sex gn̄a difficultatum (p⁹pter innūabiles gr⁹as) oñdit*. Inter folium 59. & 60. unum. occurrit a numeratione exulans, quod in postica facie tantum characteribus notatur, nec ad textus integritatem illic saltem pertinet. In fine operis haec notitia typographica exstat tribus distincta lineis, *Sūma fr⁹is Alberti magni in tractatulū eucaristie finit felicit⁹. Ac per iob⁹em zeiner in opido vlm diligenter impressa. Anno domini M.° cccc.° lxxiiij.* Cl. Braun qui editionem hanc P. I. pag. 162. pro more diligenter describit, rarissimis adcensendam iudicat ob praecedentium Bibliographorum silentium.

—— Eiusdem, *Compendium Theologicae veritatis*, Venetiis 1492. in 4. min. Initiales minoribus formis expressae sunt sed aliquoties desunt. Character gothicus complet lineas 47. in qualibet ex duabus columnis paginarum. Custodum & plagularum numerationis omissionem deprehendi; chartam obvio librae signo praeditam esse plagulis aliquot luci admotis comperi. Signantur fasciculi litteris a—l arabicisque numeris, sed primus desideratur in nostro exemplo. Haec notavit impressor ad calcem operis, *Explicit compendium theologice veritatis. Impressum* (sic) *Venetiis per Symonē alias bevilaqua Papieñ.* 1492. *die* 10 *Octobris.* Registrum compendiosum his adcedit quaternos omnes fasciculos indicans.

Alcinoi, *Disciplinarum Platonis Epitoma*, Petro Balbo Episcopo Tropeiense interprete, Vicentiae 1488. Exstat cum *Operibus* Apuleii, v. *Apuleii*.

Ales (*Alexandri de*), *Summae Pars II.*, Papiae 1489. in 4. min. Nullum custodem aut foliorum numerum adpositum marginibus huius voluminis inveni, quum ex notis quibus indicatur sermonis & plagularum connexio, signaturas tantummodo expresserit typographus litteris aa, bb, aa—ʀʀ, AA—ZZ, Aa—Hh & arabicis notis. Formis gothicis instructae sunt paginae bipartitae, quae lineas 56. in columnis integris complectuntur. Initiales parvis supplentur typis; inscriptiones marginibus superioribus inhaerent; priores lineae sectionum maiusculis excusae sunt notis; chartae signum rosa adparet. Praecedit tabula duplex quae duos occupat principes fasciculos, tertio autem statim *Incipit liber secūdus. sūme Alexādri de ales: irrefragabilis doctoris parisiēsis: ordinis minorum obseruantissimi*. In fine voluminis notavit typotheta huiuscemodi verba, *Secūde p⁹tis Sūme Alex. de ales adest finis. Papie per egre. Ioānēantonium de birretis & Franciscū gyrardēgū socios fuit īpressa Labēti anno dn̄i.* 1489. *Die xx. octobris.* Vacua pagina ultimum locum obtinet.

Alexandri PP. VI., *Regulae Cancellariae*, (Romae) sine chronologica impressionis nota in 4. min. Lineae 34. in pagina quavis integra exstant & rotundis characteribus implentur. Initialis nulla, forma consuetis uncialibus maiori exprimenda, occurrit. Nec fol. numeros nec custodes vel signaturas marginibus apta-vit impressor; charta ut plurimum stella obsignatur. Foliis 14. libellus absolvitur, eorumque prima facies statim initium operis refert subditum hisce verbis, *Regule Ordinationes & Constitutiones Cancellarie Sanctissimi dn̄i nostri dn̄i Alexandri diuina prouidentia pape. vi. scripte & correcte in Cancellaria Apostolica.* In fine notantur haec, *Lecte & publicate fuerunt suprascripte regule Rome in Cancellaria apostolica die Lune. xxvii. mensis Augusti Anni Incarnationis dominice. M.cccc.xcii. Pontificatus prefati Sanctissimi in xp⁹o patris &. D. N. D. Alexandri diuina prouidentia pape. vi. Anno primo.* Adcedit typographi notitia, videlicet, *Eucharius Silber: al⁹s Franck impressit.* Pagina vacua superest.

Almansoris, *Iudicia* seu *propositiones*, Platone Tyburtino ex arabico interprete, Venetiis 1493. Exstant cum Ptolemaei *Centiloquio*, v. *Ptolemaei*.

Andreae (*Antonii*), *Quaestiones de tribus principiis rerum naturalium*, Venetiis 1489. Exstant cum *Summulis Logicalibus* Petri Hispani a Nicolao de Orbellis expositis, v. *Hispani*.

Andreae (*Ioannis*), *Arbor consanguinitatis, adfinitatis & cognationis spiritualis*, (Norimbergae) 1477. in fol. min. Paginae quaelibet antecedentibus nullo custode aut fol. numero iunguntur, sed ex lectura tantum earum ordo dignoscitur. Signatura quoque destituitur unicus fasciculus decem plagularum quo absolvitur opusculum. Semigothici characteres conspicui lineas 34. in paginis integris explent, & amplas margines relinquunt; littera P cum cruce fronti infixa chartam obsignat; initiales desiderantur. Fol. 4. verso arbor consanguinitatis xylographica, 8. recto illa adfinitatis, ultimo autem verso arbor cognationis spiritualis, eodem pacto expressae habentur. Incipit opus nullo praecedente titulo a verbis, (c) *Irca lecturam arboris diversis olim diuersum* &c. Ad calcem legitur, *Finis tractatus magistri Iohannis Andree super arboribus consanguinitatis affinitatis necnon spiritualis cognationis. Anno domini Millesimoquadringentesimoseptuagesimo septimo. Impressus per Fridericum Creüssner de Nurmberga*. Quatuor editiones huius opusculi in Bibliotheca Mon. SS. Udalrici & Afrae exstantes, eiusdem typographi, Cl. Braun recenset P. I. pag. 87. quarum nostra tertia est.

—— Eiusdem, *Apparatus* in Lib. VI. *Decretalium* Bonifacii VIII., Moguntiae 1476. Exstat cum eodem Libro VI. *Decretalium*, v. *Bonifacii*.

—— Alia editio, Basileae 1476. v. *Bonifacii*.

—— Alia editio, cui praefigitur eiusdem *Arbor consanguinitatis & adfinitatis* tantum, Venetiis 1491. v. *Bonifacii*.

—— Eiusdem, *Apparatus* in *Constitutiones* Clementis V., Venetiis 1491. Cum textu excusus est, v. *Clementis*.

Angeli (*Iacobi*), *Vita C. Caesaris*, ex Plutarchi graeco in latinum versa, Venetiis 1491. Exstat cum aliis Plutarchi *Vitis* ex variorum interpretatione, v. *Plutarchi*. Quid de hac versione sentiendum sit indicavimus T. I. col. 100.

Apuleii, *Opera*, cum versione eiusdem latina *Asclepii* Hermetis Trismegisti & Alcinoi *Epitome* a Petro Balbo traducta, Vicentiae 1488. in fol. min. Nullo custode aut fol. numero: margines occupandas censuit typographus, sed aliter circa signaturas se gessit, quum seriem earum insculpserit inferioribus, scilicet, A, a — ɔ cum num. rom. min., & superioribus inscriptiones titulos operum referentes uncialibus litteris. Characterem adhibuit rotundum quo lineas 38. implevit in unaquaque ex paginis integris. Initiales litterae parvis supplentur in quadratis spatiis sed prope margines; charta polita satis figura quadam avis obsignatur. Praecedit epistola ioannis andreae episcopi hylariensis (sic). quae ad fol. 6. rectum usque progreditur, deinde occurrit tabvla ut in principe editione Romana cum qua convenit in reliquis. *Opera* Apuleii fol. 7. recto incipiunt ab *Asino aureo* cui praecedit inscriptio, l. apvleii madavrensis philosophi platonici metamorphoseos sive de asino avreo liber primvs. Ad calcem integri operis haec leguntur verba, *Lucii Apuleii platonici Madaurensis philosophi Metamorphoseos liber: ac nonnulla alia opuscula eiusdem: necnon epitoma Alcinoi in disciplinarum* (sic) *Platonis desinunt. Impressa per Henricum de Sancto Vrso in Vicentia. Anno salutis. M.CCCC.LXXXVIII. Die nona Augusti*. Signum typographi his subiectum est verbis; registrum ultimam paginam excusam occupat, tres vero postremae nullo inficiuntur impresso charactere.

Ara-

Arati, *Phaenomena*, latine, Caesare Germanico interprete, cum *Commentario* ut in editione anni 1499. quam descripsimus T. I. col. 686. in qua Firmicus praecedit; adcedunt eiusdem operis fragmentum a M. T. Cicerone latinis versibus expressum; & Q. Sereni *Liber Medicinae*, Venetiis 1488. in 4. min. Nemini libelli huius considerationi animum adiicienti fol. numeri & custodes erunt obvii, quum prorsus illos neglexerit typographus. Signaturarum ordinem quisque reperiet litteras complectentem h—p cum num. rom. min., quum exemplum nostrum careat *paraphrasi* Avieni, & Dionysii Periegetae opere *de situ Orbis*, ut ex Maittairio patet. Paginae dummodo integrae, nam plures ligneis figuris astronomicis ex parte occupantur, lineas rotundi characteris 38 comprehendunt. Initiales minoribus elementis expressae habentur; charta obsignatur librae figura. Incipit exemplum nostrum a quodam Arati elogio cui praefixus est titulus, *Fragmentũ arati phaenomenon per germanicum in latinũ conversi cum cõmento nuper in sicilia repertum*. Ad calcem poematii medicinalis Q. Sereni notitia haec typographi legitur, *Hoc opus impressum Venetiis arte & ingenio Antonii de strata Cremonensis. Anno salutis. M.cccclxxxviii. octauo calendas nouembres*. Registrum adcedit, tandemque monitum adest cuius auctor ex hac inscriptione dignoscitur, *Victor pisanus ad paulum pisanum in postremo opere cõmonitio*. Duo supersunt folia vacua.

Arcvlani (*Ioannis*), *Expositio in primam fen quarti Canonis* Avicennae, Ferrariae 1489. Exstat cum Avicennae textu, v. *Avicennae*.

Aristotelis, *Operum* Vol. III. aliorum quoque scripta comprehendens, graece, Venetiis 1497. in fol. Cum aliis Voluminibus descriptis in T. I. convenit hoc in rebus typographicis, signaturis vero instruitur * x ✠, ◎, αα—ζψ, & ω, A, B, Γ—Η Θ, I, K cum num. rom. mai. sive uncialibus, & fol. numeris 1—268. qui priores quatuor excludunt fasciculos; libra inter chartae signa visitur; in superioribus marginibus *operum tituli* expressi habentur, qui omnes simul occurrunt in priori pagina, graece primum dein latine hoc pacto,

Eorum quae hoc volumine continentur nomina & ordo.
Aristotelis uita ex laertio.
Eiusdem uita per iodnnem philoponum.
Theophrasti uita ex laertio.
Galeni de philosopho historia
Aristotelis de physico auditu, libri octo.
De caelo, libri quatuor.
De generatione & corruptione, duo.
Meteorologicorum, quatuor.
De mundo ad alexandrum, unus.
Philonis iudai de mundo, liber unus.
Theophrasti de igne, liber unus.
Eiusdem de Ventis liber unus
De signis aquarum & uentorum, incerti auctoris.
Theophrasti de lapidibus, liber unus.

Folio verso statim nuncupatoria incipit epistola latina qua *Aldus Manutius Bassianas Romanus Alberto Pio principi Carpensi. S. P. D.* & tres complectitur paginas, exindeque primum ex indicatis *operibus* incipit, scilicet *vita Aristotelis*. In penultima pagina registrum compendiosum graece & latine, postmodum notitia typographica graece occurrit cum versione hac latina, *Excriptum Venetiis manu stamnea ĩ domo Aldi manutii Romani, & graecorum studiosi. Mense Februario. M. IIID.* Adcedit privilegii indicium, nempe, *Impetratũest a dominis Venetis idẽ quod in caeteris impressis grece domi nostrẽ.* Superest vacua pagina.

—— Eiusdem, *De elocutione* sive Libri *Peribermenias*, a Laurentio Laurentiano latine versi & *Commentario* illustrati, Venetiis 1500. in fol. min. Columnae duae insunt paginae cuilibet, earumque alterutra constat lineis 69. characteris gothici minuti. Numeri folio-

liorum 2—11. postremum tantum album excludunt. Signaturae aaa—bbb cum notis arabicis duos opusculi fasciculos distinguunt. Custodes desiderantur, initiales minoribus litteris exprimuntur; inscriptiones in superioribus marginibus exstant & in lateralibus postillae; charta obsignatur librae figura. In priori pagina leguntur haec, *Laurentianus Florentinus in Librum Aristotelis de Elocutione*. Folio verso duae imprimuntur epistolae, prior scilicet Criniti cum inscriptione, *Petrus Crinitus Laurentiano, S.*, secunda Laurentiani cum epigraphe, *Laurentianus scholasticis Patauinis S.* Fol. 2. recto incipit opus & *commentarium* cui linearia schemata identidem inserta sunt. In fine legitur, *Venetijs impressus* (*impensis dñi Andree Torresani de Asula*) *per Simonem de Luere. Anno natiuitatis*, 1500. *Die vo. 8. Ianuarij*. Registrum compendiosum accedit, quod tres vacuae excipiunt paginae.

Artaxersis *Regis*, *Epistolae* duae, quarum altera ad Paetum, altera ad Hystanem, Rinucio Thettalo interprete, Florentiae 1487. Exstant cum Hippocratis *epistolis*, v. *Hyppocratis*.

Ascensii (*Iodoci Badii*), *Commentarium* in Boethium *de consolatione philosophiae*, & in Quintilianum *de officio discipulorum*, Lugduni 1499. Exstant cum Boethii textu, v. *Boethii*.

Astesani, *Canones poenitentiales* ex eius *Summa* extracti, v. *Canones*.

Athanasii (*S.*), *Opuscula contra Arianos*, *&* *Gentiles* Omnibono Leoniceno interprete, Vicentiae 1482. in fol. min. Nullus ante oculos versatus est custos aut plagularum numerus mihi editionem consideranti, quum penitus illos neglexerit typotheta, qui characterem rotundum elegit ad paginas lineis 50. explendas. Signaturas exculpsit in marginibus inferioribus incipiens a fol. 1. verso, & hae litterarum seriem complectuntur a—m cum arabicis notis. Initiales vel desunt vel minoribus typis supplentur; charta obsignatur non raro figura coronae. Fol. 1. verso *epistola* ad correctorem excuditur, quae auctoris nomen ita in principio refert, *pEtrus brutus art. doct. Epūs Catharen: Barnabe celsano S. P. D.* Hanc excipit *epistola* alia responsiva qua idem *Barnabas Celsanus: Petro bruto episcopo Cathareusi. S. P. D.* Hac absoluta omniboni leoniceni *Rhetoris excellentissimi in athanasium ad Paulū Venetum. ii. Summum pontificem præfatio feliciter Incipit*. Huic *epistolae* subditur iudicium de Athanasii scriptis ex Photio quod iterum legitur post *epistolam* ad Serapionem. *Opuscula* Athanasii quae in hac editione habentur cum editione Parisiensi anni 1698. *Operum* S. Athanasii a me diligenter conlata sunt, I. *Epistola ad Episcopos Aegypti & Libyae contra Arianos* quae titulum praesefert, athanasii liber primvs contra haereticos incipit, & in T. I. edit. laudatae exstat pag. 270. II. *Epistola ad Serapionem de Spiritu Sancto* sine ullo titulo quae in T. II. occurrit pag. 1. & ex quatuor ad Serapionem princeps est, III. *Oratio contra gentiles* quae titulum refert, atanasii archiepiscopi alexandriae nostri inter sanctos patris contra gentiles; in T. I. editionis laudatae principem locum obtinet. IV. contra arianos sermo primvs qui prima *Oratio* huius argumenti nuncupatur in T. I. pag. 405. V. *Oratio de incarnatione* sine titulo quae in eodem T. I. pag. 47. reperitur. VI. *Oratio contra Arianos* sine titulo, quae huius argumenti tertia est in T. I. pag. 550. VII. *de incarnatione Dei verbi & contra Arianos* sine titulo, quod opus in T. I. Parte II. pag. 871. excuditur. VIII. *Dialogus cum Ario* seu disputatio cum eodem inter spuria excus. T. II. pag. 206. Typographus ad calcem ista adnotavit, *Athanasii opus contra gentiles feliciter finit. Impressum Vicentiæ a leonardo basilensi cupidissime & studiosissime. M.cccclxxxii. cal. februarias*. Pagina ultima vacua est.

Av-

Avgvstini (*S.*), *Epistola* ad S. Cyrillum Hierosolymitanum *de obitu & laudibus S. Hieronymi*, sine notis typographicis. Exstat cum *epistola* Eusebii Cremonensis de eodem argumento. v. *Eusebii*. *Epistola* huiusmodi Augustino prorsus abiudicanda est quemadmodum illa Eusebii.

—— Eiusdem, *De Civitate Dei*, (in Monasterio Sublacensi) 1467. in fol. mai. Papyro candenti ac firmissimae impressit characteres rotundos, sed gothico modulo aliquatenus propinquantes, voluminis huius excusor, qui paginas duplici columna distinxit & earum alterutram 44. lineis constare voluit. Margines amplas & vacuas prorsus reliquit, adeo ut notas custodum, signaturarum & numerationis requirere vanum sit. Initiales ab illuminatore spatiis adiectae sunt & earum principes auro superbiunt, quum desiderarentur omnino excusae. Foliis constat opus 269. impressis, quae balistae figura obsignantur. Tituli capitum desiderantur, nec calamo suppleri possunt, quum, primo cuiusvis libri excepto, spatia eorum gratia relinquere neglexerit typographus, numeros vero ordines ipsorum indicantes expressit. Priores duodecim plagulae a rubricarum tabula occupantur titulo huic subdita,

Aurelii Augustini de ciuitate dei
primi libri incipiunt Rubricæ

Tabula absoluta notavit impressor,

Aurelii Augustini de ciuitate
dei rubricæ fæliciter explitiũt.

Folii 13. princeps pagina quae marginem internam & superiorem floribus auroque insignes praesefert, duabus initialibus & stemmate Episcopali eodem pacto ornatis decoratur Opus nullo praecedente titulo exorditur hoc pacto,

Nterea *cũ Roma gothorũ*
irruptione agẽtium sub Rege

Desinit in penultimae paginae columna secunda lin. 6. & post duarum linearum spatium haec legenda exstat typographica subscriptio,

AVRELII . AVGVSTINI . doctoris egregii atq; Episcopi ypponensis de ciuitate dei liber uicesimussecundus explicit contra paganos. Sub anno a natiuitate domini. M. CCCC. LXVII. Pontificat⁹ PAVLI Papæ secundi anno eius tertio. Tertio regnante Romanorũ Imp⁹atore FREDERICO. Indictiõe. XV. die uero duodecima mensis Iunii.

DEO GRATIAS. *GOD:* *.AL.*

Pagina suprema nullis characteribus impressis inficitur. Audiffredus diligentissimus interpretationem litterarum god. al. suis viribus superiorem esse fatetur, quum opinionibus Lairii & Scriverii adhaerere animus non ferat; verisimillimum tamen existimat nomen alicuius artificis exprimere, qui apud Conradum & Arnoldum huius editionis exactores & postea apud Io. Philippum de Lignamine operam locaverit. Luculentissima haec princeps editio quarto loco refertur ab Audiffredo laudato inter Romanas editiones, quum Sublacense Monasterium, in quo proculdubio impressa fuit, in agro Romano sit; secunda tamen est chronologica nota praedita, nec abs re fere omnium etiam quarumcumque Italarum reperiendarum secunda dici posset, quum *Donatus pro puerulis* ex typographorum adsertione tantum innotescat, & Ciceronis *de Oratore* nullum exemplum a solertissimo Audiffredo visum fuerit. Exemplum nostrum politum & optime servatum est.

—— Alia editio, Venetiis 1475. in fol. parvo. Alphabetum signaturarum duplicem seriem constituit, a—z, A—D, additis numeris arabicis, sed duo priores fasciculi excluduntur ab utraque, proprias enim signaturas habent quae prima excepta pagina impressa littera a 2. praedita, numeris arabicis tantum exprimuntur, scilicet 3. 4. in priori fasciculo, & 5. 6. 7. 8. in secundo. Custodes & foliorum numeratio desiderantur, proque initialibus litterae parvae insertae spatiis oc-

occurrunt. Lineae 46 gothici characteris in qualibet ex duabus columnis paginarum, dummodo sit integra, adparent. Margines superiores inscriptiones uncialibus typis expressas habent quibus indicantur operis libri; charta satis densa libram aliaque signa lucis ope oculis repraesentat. Princeps plagula vacat, secundae prima pagina *Aurelii Augustini de ciuitate dei primi libri incipiunt rubrice*, quas excipiunt illae ceterorum librorum, quibus omnibus 14. folia occupantur, & post aliud vacuum opus incipit, cuius prior pagina nomen typographi in margine superiori, inscriptioni, aliis etiam paginis communi, insertum exhibet hoc pacto,

LIBER. *Gabriel Petri.* PRIMVS.

Titulus operi immediate praefixus est huiusmodi, *Aurelij Augustini Episcopi de ciuitate Dei liber Primus Feliciter Incipit*. Typographi subscriptio ad calcem verbis hisce constat, *Aurelii Augustini De Ciuitate Dei Liber. XXij. & ultimus feliciter finit: Impressumq; est opus hoc a diligenti magistro Gabriele Petri de Tarnisio. M. Cccc. Lxxv. existente Petro Moceuico duce Venetiarum Venetiis*. Ultima pagina impressis destituitur characteribus.

AVICENNAE, *Canonis IV. prima fen*, latine, ex Gerardi Cremonensis versione, cum *Commentario* Ioannis Arculani sive Herculani, Ferrariae 1489. in fol. min. Paginarum formae bipartitae columnam quamvis integram linearum 54. capacem ostendunt, etsi plurimae ob maiorem textus characterem pauciores contineant. Uterque character gothici est moduli non inelegantis & chartae firmae inhaeret. Custodes in postremis scaporum paginis occurrunt, numeri fol. desiderantur; initiales ubi adsunt minoribus litteris repraesentantur. Signaturarum ordo a — ꝛ, A — K arabicis sociatur numeris; charta pro signo figuram quamdam instar annuli cum flore incluso lucis ope oculis inspiciendam offert. Folium primum characteribus vacuum est, secundo autem recto *Ioannis Herculani sui temporis medicorũ ac philosophorꝝ prĩcipis. expositio optĩa in quarti canonis Principis Fen primã feliciter incipit*. In fine notitia typographica legitur hoc pacto, *Et in hoc finit⁹ expositio fen prime quarti canonis Auic⁹. edita per. d. magistrũ Ioannem Harculanũ Veronẽsem doctorem famosissimũ Diuo Hercule duce secundo imperante. Anno a natali christiano octuagesimo nono supra quadringentesimum & millesimum. arte ac impensa Andree galli diuinũ opus hoc ex p⁹prio ipsius originali diligentissime extractum in inclita Ferrarie ciuitate impressum est die. 24. Ianuarij*. Epitaphium Ioannis Arculani subditur his, scilicet,

Herculeo arnulph⁹ gẽit⁹ sacra saxa Ioãni
Hec statuit merita pro pietate patri.
Ille vir hypocratẽ medicõs & apollĩa vicit
Atq; fuit nostro tempore verus apis.
Doctrine preclara sue monumẽta reliquit
Multaq; p⁹doctos scripta Ioãnis eũt
Codicibus febres pestes cũctosq; nocẽtes
Corporib⁹ morbos scripsit ĩ orbe trib⁹
Pulchra salutifero verona exultat alũno
Huius. n. medicã mũdus adorat opem
Sub duce quẽ borso clarũ Ferraria uidit
Fataq; corpus hñt cetera cuncta deus
Finis

Penultima pagina ad registrum pertinet, postrema nullo charactere notatur. Maittairius ad annum 1488. editionem hanc retulit & in errorem Baruffaldium induxit, quod minime animadvertit adcuratissimus Denisius.

AVRBACH (*Ioannis de*), *Summa de confessione* & *septem Ecclesiae Sacramentis*, sine typographicis notis in fol. min. Liber hic signis omnimodis marginalibus carens, characteribus gothicis luculentis exprimitur, qui in paginis quibusvis plenis lineas 34. metiuntur. Initiales spatiis tantum designantur, folia 52. integrum complectuntur opus, quae licet parum alba, spissa admodum sunt, & capite bu-

bubulo parvo cum stella obsignantur. Primo fol. verso tabula adest *Pro capitulis libri facilius requirēdis*. Folio 2. recto incipit *Sūma magistri Iohānis de aurbach. Vicarii Bābergēsis*. In fine legitur primo, *Deo gracias* ac postmodum, *Finit libellus. diuina ecclesie sacramēta. que numero septē & alia quāplurima secum versans ꝑ⁹salubria. feliciter*. Manu recenti additur nota chronologica 1469. Cl. Braunius qui P. I. pag. 86. Bibliographis ignotam editionem hanc iudicat, nondum enim prodierat Cl. Denisii *Supplementum* in quo pag. 502 recensetur, cum editione Augustensi anni 1469. Guntheri Zainer omnino convenire & iuxta idem exemplar excusam fuisse autumat; sed mihi persuadere nequeo hoc argumento ad illum annum certo referri posse, quemadmodum in nostro exemplo notatur.

Ioannes de Aurbach, natione Teutonicus, Presbyter Ecclesiae Bambergensis, vir in Scripturis eruditus, floruit saec. XV. ut ex Trithemio Braunius loco citato refert.

Avsonii (*Decimi Magni*), *Epigrammata*, *Versus Paschales*, *Epistolae*, *Monosticha*, *Gratiarum actio ad Gratianum Imperatorem*, *Versus monosyllabi*, *Crippus de ternario numero*, *Cento nuptialis & fragmenta*, Venetiis 1494. in fol. min. Anterior facies primi folii inscriptionem hanc praesefert,

AVSONII PEONII POETAE
DISERTISSIMI EPI
GRAMMATA.

in posteriori adest *epistola* editoris & correctoris cuius nomen ex huiusmodi prioribus verbis manifestum fit, *iVlius Aemylius Ferrarius Novariensis: Magnifico Ambrosio Varisio Rosato; philosopho præstātissimo: Ducali physico primario & patrono suo optīo*. Epistolam excipit *Decii Magni Ausonii pæonii poetæ lepidissimi uita*. & haec duas paginas implent; secundo fol. verso elenchus rerum in libro contentarum inchoat & quinque fere implet paginas. Quinto fol. recto incipiunt Ausonii *Carmina* titulo praecedente, AVSONII PEONII POETAE DISERTISSIMI EPIGRAMMATON LIBER PRIMVS. Ad calcem *carminum* Ausonii epigramma dirigit *Præsbyter Laurentius Casatia Saluzolius Vercellensis de laudibus Iulii Aemylii Ferrarii Nouariensis ad lectorem*. Exinde notitia typographica haec adparet, *Expliciunt ea Ausonii fragmenta: quæ inuida cuncta corrodens uetustas ad manus nr⁹as uenire p⁹misit. Venetiis impressa per magistrum Ioannem de Cereto alias Tacuinum de Tridino Anno domini. M.cccc.xciiii. die. xi. Augusti* Τελοσ. Tetrastichon subinde legitur huiusmodi,

αυσονιοσ fueram solus: νυν χειλετε κοσμω
Artificis χειρη εισι ληκαι φυσει
Τουλεργον cum prisca queat renouare uetustas:
Tum νεοσ antiquis præferet efficiis.

Registrum in penultima pagina exstat cui subiacet typographi symbolum, & nihil notatur in postrema pagina. Nec fol. numeri nec custodes marginibus huius editionis insunt, quum inferiores tantum impressione signaturarum praeditae sint, quae litteris indicantur A — H numerisque rom. min. Character rotundus 44. lineas in paginis perfectis replet; initiales parvis supplentur typis litterarum in spatiis; charta obsignatur librae figura. Maittairius editionem hanc Ausonii Ciceronis Libris *de natura Deorum & diuinatione* coniunctam refert velut unica ex duabus conflettur editio, videtur tamen res aliter se habere ex libelli nostri inspectione, a quocumque enim alio separatus luculenter adparet; & Maittairium simul utramque editionem retulisse arbitror, quod in exemplo a se viso unica compactura ligaretur, nec Ciceronis *operibus* typographica nota inhaereat. Idem auctor T. I. pag. 315. editionem anni 1472. describens, tetrastichon relatum, quod in eadem primum occurrit sub nomine Barptolemaei Girardini, in notis imprimendum curavit, sed adeo mendo-

sam

sam lectionem, & quidem recte, iudicat ut sensus satis expiscari nequeat, sed in nostra etiam vitiosior adparet.

Decimus Magnus Ausonius Burdegasensis, rhetor, grammaticus, & poeta doctissimus Christianus, Gratianum, & Valentinianum Impp. in litteris instituit. Quaestoris, Praefecti Pretorii Italiae, & Galliarum officio defunctus, anno 379. Consulatum obtinuit, & sub Honorio ann. 392. octogenario maior excessit e vita. V. Fabricii *Bibl. lat.* cum Ernest. T. III. pag. 139.

Avximo (*Nicolai de*), *Supplementum Summae Pisanellae* vel *Magistrutiae*, (Venetiis) 1473. in fol. parvo. Chartae superficies admodum albata & aequalis est; characteres eidem insculpti gothici sunt sed satis nitidi, qumque duplicem columnam impleant in pagina quavis, alterutra constat lineis 45. Signaturae, custodes, numerique foliorum nullo modo occurrunt; initiales spatiis indicantur; charta signatur figura litterae B linearis cum cruce. Plagulis 352. calamo numeratis absolvitur opus incipiens sine titulo a priori pagina. Tabula capitum exstat ad calcem qua absoluta *Incipiũt canones penitẽciales extracti de v̓bo ad v̓bum de summa fr̄is Astensis ordinis minoꝝ titulo. xxxj. & hic positi sunt ab auctore supplementi hui⁹*. Post *canones* occurrunt *ꝛ̃ice libri vi. decretalium* & in fine earum legitur epigramma, quod retulimus T. I. col. 108., notis compendiariis & orthographia aliquantulum diversum. Legitur deinde, *M.cccc.lxxiii. Nicholao Marcello duce ueneciarum regnante imp⁹ssum fuit h⁹ op⁹ die ultimo Nouẽbris. hora. xxij. feliciter*. Pagina ultima characteribus vacua reperitur. V. *Catalog. Bibl. Pinellianae* T. I. pag. 159. 160.

—— Alia editio, Venetiis 1474. in fol. parvo. Haec inter elegantes recensenda nullo instruitur custode aut fol. numero, & signaturis etiam destituitur. Duplex columna exstat in unaquaque pagina, & haec amplis marginibus vallata; initiales a miniculario spatiis earum gratia relictis insertae fuere. Typi gothici vel potius semigothici nitidi prelo urgente in quavis integra columna lineas 47. conscripsere; charta firma, & albedine conspicua librae figura signatur. Plagulis constat volumen 336. si mss. numerationi rubricatae fides habenda est, & prima characteribus destituitur, nam fol. 2. recto opus exorditur titulo praeeunte, *In nōie dñi nostri Ihesu christi. Amen. Incipit liber qui dicit⁹ Supplementum*. Post tabulam capitum & *Canones poenitentiales* primum *Laus deo*, ac deinceps istiusmodi legitur nota typographica, *Impressũ ẽ h⁰ op⁹ Venetiis p⁹ Frãciscũ de Hailbrũ. & Nicolaũ d⁹ Frãkfordia socios. .M.CCCC.LXXiiii.* Nil in ultima pagina notatur.

—— Alia editio, Venetiis 1474. in fol. parvo. Haec praecedenti admodum similis est, sed margines minus amplas habet, nam charta minoris formae typotheta usus est. Nulla eaedem margines impressione signaturarum, custodum, & numerationis inficiuntur. Principes sectionum dictiones maiusculis expressae sunt typis, initiales desiderantur. Character non absimilis illi praecedentis lineas 47. ut in eadem complectitur. Foliis librae signo praeditis constat opus 334., & primo recto statim *In noĩe dñi nostri Ihesu christi. Amen. Incipit liber qui dicit⁹ Supplementum*. Post capitum tabulam & *canones poenitentiales* typographus ista notavit, *Impressum ẽ hoc opus Venetijs p⁹ Franciscum de Hailbrun. & Nicolaũ de Frankfordia socios.. M. CCCC. LXXiiii. Laus Deo*. Columna & pagina sine characteribus supersunt. Duobus exemplis descriptis probatur quam recte editionem duplicem eiusdem anni & typographi exstare censeant Bibliographi, ut Denis in *Supplem.* pag. 34. observat.

BAL

BALBI (*Petri*), Versio latina *Epitomae* Alcinoi *disciplinarum Platonis*, Vicentiae 1488. Exstat cum *Operibus* Apuleii, v. *Apuleii*.

BALDI *Novelli*, *Commentaria de verborum obligatione*, Papiae sine chronologica notitia in fol. mai. Nullus exstat in marginibus huius opusculi, quod plagulis quatuor absolvitur, foliorum numerus aut custos, sed visitur tantum signatura A ij A iij. Lineae 62. gothici characteris columnam quamvis ex duabus, paginis inhaerentibus, implent. Initialis quae unica occurrit parva indicatur littera; margines latae habentur; charta densa & firma sed rudis nullum praesefert officinae signum. Incipit absolute opusculum a columna principe folii primi recti titulusque praecedit eidem, *Excelsi utriusq; Juris Doctoris dñi Baldi. noueli* (sic) *de perusio in. §. Cato. l. iiij. ff. de verbo, obli. Comentaria perutilia exquibus breuiter & clare declarate remanebunt difficultates ipsius. §. feliciter incipiunt &c.* Codicis possessor in superiori margine calamo adnotavit, *Hic Baldus de Bartbolinis vulgariter nuncupatus, fuit rei veritate filius spurius Illustris. V. J. doctoris domini Angeli de periglis de perusio ex quadam monacha et fuit preceptor et dominus domini et præceptoris mei Domini vincentii herculani de perusia qui nunc inter doctores orbis terrarum post Dominum Iasonem Mediolanensem secundam cathedram regit: qui vivat ad vota felix. Ant° Cioncolarius.* Hic Antonius idem est qui in T. I. col. 260. Cioncolinius typographico errore adpellatur. In fine notitia haec impressoris exstat, *Impressum papie per Leonardum gerllam.* Signum typographi adcedit, scilicet corbis cum ansa ut Cl. Denis observat pag. 386., quae figuram repraesentat vulgo *gerla*, auctoris cognomini consonam; siglae L. G. hinc & illinc expressae sunt. Inter huiusmodi symbolum, & typographicam notam Cioncolarius laudatus haec notavit, *Bal. Novelli. de Bartolinis de perusio Dñns Dñi mei. D. Vincentij herculani.* Pagina ultima destituitur characteribus.

Baldus Bartolinius, qui Baldi Novelli adpellationem sortitus est, Franciscum Colam Bartolinium, iuxta Pancirolum & plerosque alios, parentem habuit, si autem Cioncolario, qui discipulum Baldi audivit, adsentiendum est, Angeli de Periglis Perusini nothus filius censeri debet. Anno 1413. in lucem editus est, quumque iurisprudentiae studium adripuisset, & doctrinae praestantia ac virtute magnam sibi famam comparasset, primum in patrio Athenaeo, dein Pisis anno 1473. Leges publice interpretatus est, & in patria diem supremum obiit anno 1490. V. Mazzuchellium *Scrittori d' Italia* T. II. P. I. pag. 453. & Cl. Fabronium *Hist. Acad. Pisan.* T. I. pag. 186.

BARBARI (*Francisci*), Versio latina ex graeco Plutarchi *Vitarum* Aristidis & Catonis Senioris, quarum secunda perperam Leonardo Bruno Arretino tribuitur ut in edit. Veneta anni 1478. pariter accidit, quod in T. I. col. 252. animadvertimus, v. *Plutarchi*.

BARDUTII (*Bernardini*), *Epistola* ad Ioannem Nesium *de laudibus Veronae*, sine notis typographicis in 4. min. Superficies chartae alba & optime coaequata visitur; eius artifex pro signo usus est figura quadam avis. Characteres eidem in-

insculpti moduli oppido elegantis sunt, & lineas in paginis quibuslibet plenioribus occupant 29. Sex plagulis absolvitur opusculum marginalibus signis destitutum. Folio primo verso praefatio brevis impressa statim adparet cum titulo, *Præfatiuncula Reuerendissimi Magistri Bernardini Bardutii Florentini in epistolam sequentem*. Ovidianum octostichon subditur huiusmodi *praefatiunculae*; folio autem secundo recto incipit *Epistola Reuerendissimi Magistri Bernardini Florẽtini olim prædicatoris in sancto Firmo Veronæ in laudem ciuitatis Veronæ ad Ioannem Nesium: Ciuem Elorentinum* (sic) *præclarissimum*. Desinit his verbis, *Veronæ Idibus Maii Mcccclxxxxviiii.* Pagina superest vacua. Cl. Denis pag. 504. *Supplem.* huius opusculi in Bibl. Caesarea exstantis meminit.

Bernardinus Bardutius Florentinus, Concionator celeberrimus ex Ordine Minorum Conventualium memoratur a Cinellio in Mss. nostrae Bibl. T. I. pag. 129., velut auctor *Dialogi de laudibus castitatis* ad Franciscum Roboreum Cardinalem, postea Sixtum IV. directi; errat tamen annum 1408. emortualem illi adsignans nisi pro 1498. inculpatim irrepserit, Sixti enim IV. aetas valde repugnat. Opusculum a nobis descriptum nullatenus indicat & ex eo aliud argumentum eruitur ad *vitam* Bernardini circa saeculi XV. exitum protrahendam, Nesius enim cui inscribitur tunc floruit.

Bartoli *de Saxoferrato*, *Lectura super Secunda parte Codicis*, quae in nostro exemplo manco in fine nullam praesefert typographicam notam, in fol. mai. Paginas huius voluminis bipartitas amplis cinxit marginibus typotheta, qui lineas 50. rotundi characteris elegantis cuivis columnae adtribuit. Initiales parvis formis excusae tantum aderant, antequam illuminatoris industria pictae accessissent; signaturae elementorum seriem complectuntur a—u quibus adhaerent arabes numeri. Charta alba, spissa & optime levigata signatur sagittis decussatis. Nullus custos aut fol. numerus margines occupat. Prima pagina impressa ornamentis & initiali pictis auroque illitis superbit. Praecedit *operi* spatium, pictura ut videtur implendum, adeo ut incipiant characteres in medio paginae. Quinque plagulae postremae lacerae admodum sunt in exemplo nostro, & earum prima excepta, dimidiatae tantum habentur, itaut praeter Bartoli textum desideretur pars registri & notitia typographica, quae integris inhaesisse probabiliter videtur. Pagina extrema nullo inficitur charactere. Ex iis quae editionem describendo retulimus Bibliographi cui tribuenda sit facile detegent.

Basilii (*S.*), *De laude vitae solitariae*, latine; adcedit Guigonis Cartusiani libellus eiusdem argumenti; item Nicolai de Clemangis *de fructu heremi*, & Sebastiani Brant *Carmen de laude Cartusiensis Ordinis* (Parisiis) sine chronologica nota in 8. parvo. Nemini libellum adtrectanti ob oculos versabuntur custodes numerique foliorum, iis namque editionem instruere neglexit typographus, quamvis signaturas a, b, C cum num. rom. min. adponere curaverit. Charactere gothico usus est, quo lineas 33. implevit in pagina qualibet perfecta. Initiales, priori excepta xylographica leonis figura ornata, uncialibus typis communibus exprimuntur. In priori pagina tabella lignea medium obtinet locum, & senis eremitae figuram repraesentat. Desuper ista leguntur verba,

In hoc volumine cõtinent⁹
Que sequuntur. Primo libellus pulcherrimus sancti basilij de laude solitarie vite.
Guigo cartusianus de laude solitarie vite.
Tractatus epistolaris prestantissimi viri magistri Nicolai de clamẽgijs de fructu heremi et laude solitarie vite
Carmen saphicum de laude et exornatione ordinis cartusiensis sebastiani Brant.

Haec subter tabellam excusa sunt, *Venales reperiuntur parisius a Iohanne Lamberto*

berto eiusdẽ ciuitatis bibliopola sub signo diui claudij manente: iuxta collegium coquereti. Folio verso exstat *Ad lectorem exhortatio*, in qua editor haud dissimulat ad alium Scriptorem fortasse pertinere opusculum Basilii, quod incipit statim fol. 2. recto titulo praeeunte, *De laude solitarie vite libellus pulcherrimus sñcti basilij nomine passim titulatus*. Absoluto Sebastiani Brantii *carmine* aliud constans decem distichis adcedit quod nuncupatur *Exhortatio ad lectorem de vita solitaria*. Subscribitur *Finis*. In postrema pagina signum typographi vel bibliopolae lignea forma caelata expressum occurrit cum eiusdem nomine, videlicet, *Iean lambert*. Quum artificis huius editio ann. 1493. apud Maittairium reperiatur, hanc omittere nolui licet nota chronologica destitutam, quod ad saeculum XV. probabiliter pertineat.

Benedicti PP. XII., *Reservatio ad regimen*, data Avenione 3. id. Ianuar. 1335. (1476.) sine loci & typographi indicio. Exstat cum *Regulis Cancellariae* Pauli II. & Sixti IV., v. *Pauli*.

Benedictus XII., antea Iacobus Fornerius, ad Romanam Sedem evectus anno 1334. die 20. Decemb. coronatus est Avenione 8. Ianuarii 1335. Decessit anno 1342. die 25 Aprilis.

Bergomo (*Petri de*), *Tabula Operum S. Thomae Aquinatis*, Venetiis (1497.) in fol. min. Initiales litterae formis ligneis caelatis expressae sunt; character gothici est moduli qui arabicis notis frequenter intermixtus in qualibet pagina lineas 72. amplectitur. Custodes desunt, occurrunt vero numeri fol. 2—424 & inscriptiones maiusculis typis cusae in superioribus marginibus. Laterales numeris & citationibus scatent, inferioribus signaturae insunt a—z, A—Y, AA—JJ cum notis arabicis; charta obsignatur non raro figura librae. In priori pagina titulus voluminis lineis 8. distinctus typisque maiusculis cusus legitur hoc pacto, *Tabula in libros. opuscula. et commẽtaria diui Thome de Aquino. cũ additionibus conclusionum: concordantiis dictorum eius: et sacre scripture autoritatibus*. Folio verso inhaeret *epistola* nuncupatoria cum epigraphe, *Ad Reuerendissimum in Christo patrem & dñm. D. Thomam donatum. miseratione diuina Patriarcham Venetum. ex sacro ordine fratrum predicatorum: fratris Ambrosii de Alemania eiusdem ordinis. cõgregatiõis uite regularis pᵒuĩcie Lũbardie ĩferioris. ex ĩclita ciuitate Mãtue. epistola pᵒbreuis. feliciter ĩcipit*. Fol 2. recto statim occurrunt testimonia de S. Thomae doctrina, nimirum Pontificum Innocentii & Urbani & *Epistola* Vniversitasis Parisiensis, ut vidimus in T. I. col. 295. Haec excipit tabula operum cui subditur *Declaratio prohemialis*. Folii 3. prior pagina tabellam ligneam in fronte excusam praesefert, que S. Thomam coram discipulis disserentem representat; ante cathedram Averroes fronte demissa humi sedens, S. Thomae argumentis victus adparet. *Titulus Presentis Tabule* subditur hisce iconismis, nimirum, *Eximij Doctoris. Fratris Petri de Bergomo. Sacri ordinis fratrũ predicatorũ Congregationis uite regularis utriusq; Lũbardie. Sacre theologie professoris. ĩ ciuitate Placentie cũ maxĩa populi ueneratione. Sub deuoto deposito sepulti. Anno salutis humane. Mccccclxxxiiij. ĩ omẽs libros. opuscula. & cõmẽtaria Diui Thome Aquinatis. eiusdem ordinis. cum preclarissimis additionibus conclusionum. & suis concordãtijs. atq; diuine scripture autoritatibus. per eundẽ Diuũ Thomam. iuxta catholice fidei ueritatem euidentissime expositis Tabula feliciter incipit*. Ad calcem haec exstant verba typographi industria notata, *Explicit Tabula cum cõcordãtijs. & autoritatibᵒ scripture sacre. magistri Petri Bergomensis. sacri ordinis fratrum predicatorum. in omnes libros sancti Thome de Aquino. doctoris Angelici. Impressa Venetijs per Iohannem Rubeum vercellensem. cum priuilegio cõ-*

cõcesso a senatu et dominio Venetorum. q⁹ nullus per decẽ annos possit nec audeat imp⁹mere ul⁹ uẽdere ĩ dicto dñio op⁹ istud. sub pena q⁹nquagĩta ducatorũ pro quolibet uolumine. s9m priuilegiũ cõcessum & notatũ. Tertio Idus Maij. 1497. Penultima pagina registrum *operis* primo exhibet, deinde signum typographi xylographicum, quod Gabrielis Archangeli imaginem representat. In postrema pagina nil exstat impressum. Maittairius editionem hanc retulit.

Bernardi *Abbatis* (*S.*), *Tractatus de viis vitae* & alia opuscula, Mutinae 1491. in 4. min. Signaturae marginibus insunt inferioribus huius libelli in quo nulla impressio cernitur custodum aut numerorum plagularum. Characteres gothici moduli nitidi lineas implent 30. in paginis unisquibusque perfectis. Initiales minoribus typis supplentur, charta obsignatur figura quadam tridenti, & firma satis est. Folium princeps vacat, secundo recto statim *Incipit tractatus primus de vijs vite sancti Bernardi abbatis Clarauallensis doctoris deuoti*. Desinunt opuscula omnia fol. ultimo recto eidemque verso insculptus est huiusmodi elenchus, *Infrascripta op⁹a sancti Bernardi doctoris deuotissimi clarauallensis ordinis Cisterciens⁹. continentur in hoc codice. s.*

De vijs vite.

De ordine vite & morum institutione.

De gradibus humilitatis & superbie.

Libellus meditationum de homine interiori: quomodo se ipsum cognoscat: ut deum videat &c.

Sermo de miseria humana.

Planctus beate Marie virginis in morte siue in passiõe domini nostri Iesu xp⁹i.

Contemplatio de passione domini nostri Iesu christi s9m septem horas canonicas cum certis orationibus sup⁹ septẽ verbis: que dixerat in cruce pendens.

Epistola ex persona Helye monachi ad parentes.

Epistola ad fratres de monte dei.

Inter relatum indicem & registrum notitia typographica obtinet locum, nimirum, *Impressa Mutine per expertum virum. M. Dominicũ Richizolã Anno salutis nostre Mille. cccclxxxxi. die vero octaua mensis Iulij.*

Bernardi (*Petri*), *Expositio* italica Psalmi lxviii., sine notis typographicis. Exstat inserta textui eiusdem *Psalmi*, v. *Biblia*.

Beroaldi (*Philippi*), *Annotationes in Commentarios Servii*, Florentiae 1489. in 4. parvo. Libellus hic custodibus foliorumque numeris destitutus, inter nitidas editiones recensendus est, characteres enim rotundi moduli elegantes adparent & chartae firmae inhaerescunt. Sectiones numeris rom. mai. in externis marginibus indicantur, in inferioribus signaturae a — f cum rom. num. min. existunt. Principes initiales litterae minoribus formis supplentur; lineae 25. paginas plenas communes perficiunt; charta obsignatur malleis decussatis & littera M gothicae formae. Praecedit *Ad Magnificum Virum Franciscum Casatum Mediolanensem Ducalem Oratorẽ dignissimum Philippi Beroaldi Bononiensis epistola*. Desinit *epistola* fol. primo verso eidemque subiungitur opus cum titulo, *Annotationes Philippi Beroaldi bononiẽsis in cõmẽtarios Seruii Virgiliani cõmentatoris*. Ad calcem conclusio exstat Beroaldi, qua absoluta legitur LAVS DEO. In priori penultimi folii pag. adest Beroaldi EIVSDEM ENDECASYLLABON AD LIBELLVM. cui subest typographica notitia, scilicet, *Impressit Florentiæ Antonius Mischominus. Anno Salutis. M.CCCC.LXXXVIIII. XIIII. kalen. Ianuarias*. Folio verso registrum insculptum est; postrema plagula destituitur impressis characteribus.

Bertachini (*Ioannis*), *Repertorii utrinsque iuris P. I.*, (Mediolani) 1485. in fol. mai. Paginae huius Voluminis bifariam divisae in unaquaque integra columna 67. complectuntur lineas gothici characteris nitidi. Intercolumnia lata adeo sunt, ut superioris marginis mensu-

ſuram excedant; externae quoque margines & inferiores amplae viſuntur, & in iisdem inferioribus ſignaturae notantur a — z, A — Z, ET, cum num. partim arab. partim rom. min. In ceteris marginibus nullum signum exſtat; initiales parvis litteris ſupplentur; ſectionum principes lineae maiuſculo typo ſunt expreſſae; charta firma, levigata & alba typographus uſus eſt. Prima pagina impreſſa *Tabulam alphabeti. A* & operis initium ſimul offert legenti. In fine voluminis hoc legitur epigramma,

Vade liber noſtri p⁹s prima aſumpta laboris,
Pontificis ſanctos añferere pedes.
Mens licet in turbas curis maioribus inſtet,
Cura nec ex animo defluat iuſta ſuo.
Dicito, ſis felix. ueniatq; aunoxior etas.
Quã tua ſit quercus. robore nixa ſuo.
Sixte tui ſyui ſum p⁹s ego prima laboris.
Muneris & p⁹s ſum de tribus una tui.
Mox aderunt alie. modo ſim tibi grata magiſtri.
Preſſerit ut ſocias ingenioſa manus.
Hunc uelut in ſacra tua concio ſuſcipit aula.
Et dignum tanto munere Sixte facis.
In dñm ſic diue meum tua gratia creſcat.
Et te muneribus ſentiat eſſe deum.
Debitor ergo refert accepti muneribus (sic) *amplas.*
Quas potuit grates. tu meliora refer.

Poſt duarum linearum ſpatium impreſſores verba haec addidere, *Finit prima p⁹s ſolẽnis Rep⁹torij utriuſq; Iuris editi a p⁹claro utriuſq; iuris doctor⁹ dño Iohãne Bertachino d⁹ Firmo. diui Sixti põtificis bñficio. aduocato conſiſtoriali diuo Sixto pontifice* (sic) *maximo ĩscripti eiuſq; iuſſu imp⁹ſſi. per egregiũ uirum magiſtꝶ Leonardum pacbel & Vldericus zinziler theotonicum. Anno dñi. M.cccc.lxxxv. die. xx. decẽber ad publicã ſtudiorum utilitatem.* Penultima pagina regiſtrum continet, nil vero poſtrema.

—— Eiuſdem *Operis P. II.*, Mediolani 1486. in fol. mai. Hoc volumen praecedenti conſonat, exceptis ſignaturis A—Z—ꝶ, A, B, CC, CCC, DD—SS. Prior pagina quae alphabeti tabulam & initium *operis* offert legentibus hoc diſtichon in fronte gerit,

Hec op⁹is pars eſt quam ſuſcipe Sixte ſecunda
Qua ſiñ prima poteſt utilis eſſe parum.

Ad calcem legitur, *Impreſſum Mediolani Mcccclxxxvi.* ac deinde, *Finis ſecunde partis Repertorij*. Regiſtrum ultimam paginam occupat.

—— Eiuſdem *Operis P. III.*, Mediolani 1485. in fol. mai. Convenit in rebus typographicis cum Vol. praecedenti, ſignaturis tamen inſtruitur aa — ꝶꝶ, aaa — ooo. Fol. primo verſo tabula alphabeti imprimitur, opus ſecundo recto incipit & ubi deſinit legitur primo, *Laus deo & uirgini* (sic) *matri*, deinde *Exultatio Iohãnis Bertachini ob operis huius abſolutionem* quam in T. I. huius *Catalogi* col. 313. indicavimus, & hic integram referre libet, quod diſertum teſtimonium ſit de ſtudio poeſeos Ioannis Bertachini, & pariter tempus in *Repertorio* hoc adornando ab eodem inſumptum, eiuſdemque Ioannis propoſitum de poeſi unice in poſterum ſequenda perſpicue doceat,

Gaudete o muſe. feſtas agitate choreas.
Exul ab exilio ueſter alumnus (sic) *ero.*
Si allectus legum ſtudiis tua caſtra reliqui
Calliope. cur te non ego ſemper amem. (sic)
Ad tua iam redeo cupidus uexilla. tuusq;
Miles ero. accinctus iam tua ſigna ſequar.
Hoc operis uaſtum denos agitata per equor
Annos. ad portum feſſa carina redit.
Iuſtiniane uale. ſatis eſt certaſſe tot ãnnos.
Iam tibi cum ſpolijs reddere & arma decet.
Diue mihi dederis nomen. licet ipſe fatebor.
Et quicquid laudis quicquid honoris adeſt.
Quod reliquum vite fuerit tibi cedat Apollo.
Redde mihi ſolitam dulcis Apollo liram.
Illa animo curas adimet. feſſamq; leuabit.
Mentem. ne pereat preſſa labore graui.

Sepe

Sepe deos sacros cythara cantabimus hymnos.
Legimus & cytharam perplacuisse deo.
Sepe canam Regina poli tibi carmina uates.
Perstringet laudes iam mea bucca tuas.
Virgo adsis nati sola es mihi portus & aura.
Spes. requies. columen. tu mihi uera salus.

Typographus huiusmodi epigrammati subdidit notitiam impressionis hoc pacto, *Rep'torium Berthachini cum alijs inumerabilibus additōnibus limitationibus & decisionibus additis diligētissime p'pri' uisis oībus ip'i' Berthachini allegatōib' Impressū Ml'i p' teutonicos īpensis nobil' uiri dñi Petriautonij d' casteliono mediolaueñ. olīpiadibus dñicis scd'o idus maij. M.cccc.lxxxv.* Registrum in penultima pagina occurrit in ultima nullus exstat character. Hoc magnae molis opus nostrae editionis non tantum Saxio, sed & plurimis Bibliographis quos adii ignotum fuit, quod raritatis eiusdem non inficiandum argumentum est.

Bertholdi *Episcopi Eystettensis, Constitutio* circa Testamenta Clericorum anni 1364. sine notis typographicis. Praefigitur *Statutis* Ecclesiae Eystettensis, v. *Eystettensis*.

Bethen, *Centiloquium, de horis planetarum*, & *de significatione triplicitatum ortus*, latine, Venetiis 1493. Exstant cum *Quadripartito* Ptolemaei, v. *Ptolemaei*.

Bettini (*Antonii*), *De divina praeordinatione vitae & mortis humanae*, sine typographicis notis in 4. min. Pagina princeps impressorio atramento nullo pacto inficitur, nam fol. verso *Incipiunt huius Tractatus Rubricae* quae omnibus praecedunt & tres paginas implent. Typus quo usus est excusor rotundi est moduli satis elegantis lineasque perficit 28. in paginis integris. Marginalia signa desiderantur omnino, nec aliter quam spatiis quadratis indicantur initiales. Foliis 56 spissis admodum integrum opus absolvitur, quae figura quadam instar triplicis tiarae cum linea in stellam desinente obsignata fuisse comperi. Fol. 3. recto *Incipit liber de diuina preordinatione uite & mortis hūane Cōpositus per A. de Senis dei gr'a ep'm fulginatensem & de paup'ibus yhesuatis Anno dñi. Mcccclxxx. Et primo de pessima ignorantia Capitulum primum*. Ad calcem *operis* adest Fr. Cherubini de Spoleto Minoritae approbatio doctrinae huius libri, eique *epistola* subditur ad auctorem Fr. Gabrielis de Brunis de Barulo Ordinis Praedicatorum, cuius iudicio opusculum submiserat, eaque se excusat nec sententiam hac de re proferre audet, satius ducens in medium adferre, quid circa hanc materiam S. Thomas Aquinas senserit. Accedit adprobatio Fr. Ivi seu Ivonis Senensis Servitae quae praecedentibus concinit. Sequitur *Responsio contra Magr'm Petrum* qua absoluta haec notata legi, *Finis pulcherimi Tractatus de diuina p'ordinatōe uite & mortis hūane*. Relinquitur pagina vacua. Editionem hanc refert Cl. Denisius *Supplem.* pag. 662. 663. & Florentinam esse, non abs re, suspicatur. In exemplo auctoris laudati mss. adprobationem Fr. Mariani O. M. Inquisitoris in Thuscia exstat anni 1480., qui ab illo compositionis & impressionis alius fortasse non est.

Biblia, *latine*, Norimbergae 1475. in fol. mai. duobus Vol. distincta. Custodum, foliorum numerationis & signaturarum characteres, qui paginarum marginibus imprimi solent nullum in hac editione locum obtinent. Typus gothicus vel semigothicus conspicuus duas implet columnas in qualibet pagina, & columna vicissim impletur lineis 48. Capita eorumque numeros typographus indicavit initiales; miniculari industria spatiis quadratis adcessere, quum prorsus antea desiderarentur; charta Vol. I. quod fol. 242. constat, obsignatur rosa, strigili, uvae racemo, & anchora circulo inserta, nec firmitate parum commendatur. Continet idem Volumen *Scripturae* libros a *Genesi* ad *Psalterium* inclu-

clusive cum *prologis* S. Hieronymi. Inter Librum II. *Paralipomenon* & Librum primum *Esdrae*, *Manassae* adest *Oratio*, & post *Esdrae* secundum imprimuntur tertius & quartus eiusdem; post librum vero *Ecclesiastici*, qui in T. II. exstat, *Oratio* occurrit *Salomonis*, ut in aliis editionibus T. I. col. 341. animadvertimus. Prima pagina statim *Incip⁹. epl^a sct⁹i hieronimi ad paulinū p⁹sbiterū: de oīb⁹ diuine historie. libris, Ca. p⁹mū*. Ad calcem *Psalterii*, quod penultima linea postremae columnae absolvitur, legitur tantum, *Explicit psalterium*. Vol. II. foliis absolvitur 239. & a *Proverbiorum* libro incipit desinitque illo *Apocalypseos*. Signa chartae eadem sunt excepta anchora. Folio primo recto statim incipit *Ep⁹la sancti hierouimi p⁹sbiteri ad chromaciū & eliodorū ep⁹os d⁹ libris salomōis*. In columnae secundae penultimae paginae linea 20. desinit liber *Apocalypseos*, exindeque legitur, *Explicit liber apocalipsis beati Iohannis apostoli*. Dehinc notitia ita exprimitur, *Opus veteris nouiq; testamēti. Impressum ad laudem & gloriam sancte ac indiuidue trinitatis. Intemerateq; virginis marie felicit⁹ finit. Absolutū consūmatumq; est. In regia ciuitate Nurmbergeū. per Anthoniū Coberger incolā ciuitatis eiusdem. Anno incarnatōis dñice. M.CCCC.LXXV. Ipso die Sācti Otmari cōfessoris. XVI. Nouēbris*. Spatium 17. linearum vacuum remanet, & in ultima pagina nullus pariter exstat character. Hanc editionem tamquam *Bibliorum* hebraicorum primam Marianus Victorinus laudat in *Indice operum S. Hieronymi*, prima item Koburgeri iudicatur a Braunio & aliis P. I. pag. 173., & fol. 480. constare adserit contra Maschium qui 482. numeravit. Quum ex numeratione a me facta folia 481. adpareant, vacuum folium initio operis potius in aliquibus exemplis abundare suspicor, quam Maschii opinionem a veritate aberrare. Editionem anni 1471. quae velut prima Koburgeri a Roedero & Maittairio laudatur existere negat Braunius cum Panzero. Maschius praefatus in *Bibl. Sacra* Iac. Le Long. P. II. Vol. III. pag. 111. singulares lectiones animadvertit quae in hac reperiuntur.

—— Alia editio, Venetiis 1476. in fol. parvo duobus distincta Voluminibus. Typographus paginas bipartivit & singulae columnae aptavit lineas 51. characteris semigothici nitidi. Margines superiores titulos librorum referunt maiusculis typis, inferiores signaturas tantum quae in Vol. I. a — v cum arabicis numeris visuntur, in altero x, y, j — 18, A—C, nam revera unico volumine *Biblia* includere typographus animo statutum habuit. Initiales addidit illuminator spatiis vacuis; chartarius libra aliisque symbolis usus est ad papyrum nitidam oppido obsignandam. Volumini priori bibliopegus qui divisionem curavit *Scripturae* libros adsignavit a *Genesi* ad *Psalterium* inclusive cuius ad calcem legitur tantum, *Explicit Psalterium*. Praecedit omnibus folium vacuum, folio autem secundo recto *Incipit epl^a sancti Hieronymi ad Paulinū p⁹sbyterū d⁹ oīb⁹ dīue historie libris. Capl^m. I.* Hieronymi icon initialem pictam auroque illitam exornat. Margo item inferior eiusdem paginae laurea floribusque ornatur. *Oratio Manassae*, Libri III. & IV. *Esdrae*, & *Oratio Salomonis* ut in praecedenti occurrunt. Vol. II. incipit ab *Epl^a sancti Hieronymi p⁹sbyteri ad Chromatiū & Heliodorū ep⁹os: d⁹ libris Salomōis*. Prior pagina initialem auratam sine ulla icone & marginem inferiorem ut in primo Vol. exhibet. Ad calcem *Apocalypseos* legitur, *Explicit biblia īpressa Venetijs p⁹ Frācīscū de hailbrun & Nicolaū d⁹ frankfordia socios. .M.CCCCLXXVI.* Exinde *Incipiūt interp⁹tationes hebraicorū nominū scd⁹m ordinem alphabeti*. quae tres postremos complectuntur fasciculos, folio ultimo vacuo excepto. Ad calcem legitur, *Expliciūt Interpretationes hebraicorū nominū. . Laus Deo*. Cl. Maschius

Bibl.

Bibl. Sacr. Le Long. P. II. Vol. III. pag. 121. hanc recenset editionem, signaturis tamen carere haud recte arbitratur. *Psalterium* quod *Hymnorum* liber adpellatur *Psalmis* constat 171. nam CXVIII. in 22. dissectus est. Cui editioni textus huius respondeat, v. apud Maschium laudatum qui Lorckii sententiam adducit.

—— Eadem, germanice, Augustae Vindelicorum 1477. in fol. cum Hieronymi prologis, *Oratione Manassae*, Libro III. *Esdrae* & *Oratione Salomonis*, ligneisque tabulis ornata. Nullis instruitur custodibus, signaturis & fol. numeris hoc ingentis molis volumen quod plagulis constat 542. Characteres duplici columna in paginis distincti lineas in unaquaque integra 53. adimplent; initiales principes xylographicae florentes, reliquae linearibus formis expressae visuntur, sed hac illaeque coloribus variis a miniculario depictae fuere, quemadmodum iconismi identidem textui inserti. Librorum tituli in superioribus exstant marginibus; charta firma oppido rosae figura ut plurimum obsignatur. Folio primo verso elenchus librorum utriusque *Testamenti* imprimitur, 2. autem recto Hieronymi *epistola*, sive in omnes *Bibliorum* libros prologus incipit, cui titulus praecedit, *Hie hebt an die vorrede oder die epistel des hailigē priesters sant Iheronimi zū paulinum von allen götlichen hystorien der bücher under der biblen Dar erst capitel*. Folio 6 recto *Geneseos* liber incipit. Ad calcem *Psalmorum* qui 150. numerantur, legitur primo DEO GRACIAS, postmodum vero germanica occurrit subscriptio qua lectores monentur de *Psalterii* fine & initio prologi Hieronymi in *Proverbia* Salomonis qui post vacuam incipit paginam & iisdem praefigitur. *Veteri Testamento* absoluto typographus notavit, *Ein Ende hat das ander Büch machabeorum Das man zū Teütsch nennet der Streitter. Auch endet sich Hie das Testament Der Alten Eee. M.CCCC.LXXVJJ.* Tabella lignea his subditur, quae virum asino humi procumbenti insidentem, oculis vitta coopertis, hastae vexilli fractum truncum gestantem, cui Regia corona e capite excidit, representat; carnifex ante cuiusdam domicilii fores viro sancto capite amputato adstat, gladium ambabus manibus tenens. Pagina vacua exinde occurrit, sed in nostro exemplo a gentilitio stemmate depicto occupatur. Sequitur *Novum Testamentum* ac primo *Evangelium* Matthaei cum prologis. Ad calcem *Apocalypseos* haec primo legenda occurrunt, *Eyn ende hat das büch der heymlichen offenbarung santt iohannsen des zwölffpoten und ewangelisten*. Postmodum legitur typographica notitia ex qua patet Augustae Vindelicorum opus excusum fuisse ab Antonio Sorg & absolutum die Veneris ante festum S. Ioannis anno 1477. Illam refero, *Diss durchlewchtigosst werck der gantzen heyligen geschrifft genantt die Bybel. hat hye ein ende. In der hochwirdigen keyserlich en stat Augspurg. der Edlen teütschen Nation nit die mynsst. Sunder mit den meyssten eben geleych genennet zū gantzem ende. Die hat gedrücket vñ volbracht Anthoni sorg am freytag vor sant Iohannsen tag des teüffers: Als man zalt nach Cristi unser herrn gepurt Tausent. Vyerhundert. und in dem Sybenundsybentzigosten iare: Vmb wölich volbringung seye lob: glori. vnnd ere der hohen heyligen driualtigkeit vnd eynigem wesen. Dem vatter vnd dem sun. vnd dem heyligen geisst. Der dolebet vnnd regieret got ewigklichenn.* AMEN. Pagina vacua superest. De hisce *Bibliis* germanicis v. Zapfii *Annales Typograph. August.* pag. 19. & David Clement, qui rarissimam hanc descriptam editionem, ab alia eiusdem anni & typographi diversam, in *Biblioth. Curieuse* Tom. III. pag. 325. recenset. Bibliothecae Magliabechianae accessit Regia munificentia Domini nostri Ferdinandi III. M. E. D. 12. Kal. Septembris 1793.

—— Eadem, Bohemice, in Bohemia excus. ann. 1489. in fol. min. cum figuris ligneis. Impressionem hanc adtente inspicienti nullus obvius fuit custos aut fol. numerus, signaturas vero insculptas marginibus inferioribus animadverti quae litteras b — z, nam primus exempli nostri fasciculus quo *Genesis* incipit signatura destituitur, & A — Z, ꝯ, ꝰ, aa — ll cum numeris rom. min. comprehendunt; mancum enim exemplar est & in *epistola Catholica* S. Iudae desinit, quae tamen nec integra habetur. In superioribus marginibus tituli librorum expressi occurrunt. Columnae duae cuivis inhaerent paginae quarum singulae constant 50. lineis. Initiales parvis formis expressae videbantur priusquam miniculator, qui iconismos etiam coloribus infecit, illas adpinxisset. Pro chartae signo bubulum caput repperi, e quo procedit crux hastata quae angui circumligatur. Hieronymianos prologos haud repperi, sed *Psalterio*, quod titulos cuivis *psalmo* adscriptos refert, praefationem quamdam initio praefixam offendi. *Oratio Manassae*, *Liber III. &c. Esdrae* adsunt, quae omnia linguam Bohemicam callentibus clarius patebunt. Prioris paginae nostri exempli, qua *Genesis* incipit, titulus iste in fronte adparet, *prwniekniby Moyziessowy*. Quamvis plures in fine plagulae exciderint, nihilominus illa superest quae typographicam notitiam continet, & ad omnium calcem occurrit, excepta tabula *Evangeliorum* & *Epistolarum* rubris & nigris litteris expressa, & volumini quodammodo adaucta, signata littera i, sexque plagulis contenta. In primae faciei summitate leguntur itaque verba huiusmodi, *Skonawa se biblee. genz gest zakon bozi nowy y stary. literami wytisstienymi. na horach Cutnach slawnych. skrze mne martinaz tissñowa: Letabozieho tisyczieho cztyrstcho osmdesatcho dewateho. tu sobotu po swatem martinie. Za czasu kralowanie nayiasnieyssie° kniezete a pana pana Wladisslawa Krale czeskeho a Markrabi morawskeho et ct. pana nassebo milostiwebo. leta kralowanie gebo milosti osnmaczteho*. Haec verba, ut a Bohemo viro accepi, indicant, opus excusum fuisse in monte Cuthnae Bohemiae a quodam nobili viro Domino Martino Tissñowa anno 1489. die Sabbati post festum S. Martini, anno XVIII. Wladislai II. Regis Bohemiae Margravii Moraviae. Si ita res se habet editio illa videtur, quam in *Appendice* Maittairius retulit ex Prospero Marchand, quaeque Le-Longio invisa fuit. Stemma subditur relatis verbis, quod calicem exhibet cum corona, malleis decussatis impositum; leo coronatus & gryphus erecti hinc & illinc unguibus coronam suffulciunt. Duo viri brevi cucullo induti, scutum, coronam desuper impositam, & siglam W coronae eidem subiectam, manibus substentant. Post vacuam paginam registrum seu tabula *epistolarum* & *Evangeliorum* rubro-nigra, ut innuimus, occurrit. Hanc pariter *Bibliorum* raram editionem Regia munificentia Ferdinandi III. novissime Bibliothecae donavit.

—— Item, *Psalmus* LXVIII. *Salvum me fac Deus* &c. cum italica *expositione* Petri Bernardi, sine notis typographicis in 4. min. Desunt custodes & fol. numeri, signatura autem a i a ii occurrit, quatuor enim plagulis absolvitur opusculum. Pagina quaevis integra lineis 36. distinguitur quae implentur litteris rotundis; initialis unciali exprimitur forma; charta obsignatur clavibus decussatis. Textus *Psalmi* latinus *expositioni* inseritur praesuntque utrique verba, *Iesus Mariæ filius*. *Psalmo exposto per Pietro bernardo da Firenze seruo imprigionato di Cristo alla Mirandola, mentre era in prigione*. Desinit opusculum linea 33. postremae paginae eique subscribitur FINIS.

—— Item *Evangelia*, cum *expositione* Hugonis de S. Caro, sine notis typographicis in fol. Columnae duae in paginis huius editionis visuntur, tam in

textu

textu quam *Expositione* ipsum circumdante & quaevis illarum *Expositionis*, dummodo sit integra, 71. lineis impletur gothici characteris minoris, quum textus maiori sit expressus. Numeros foliorum marginibus superioribus insculpere neglexit typographus qui tamen inscriptiones, *Evangelia*, *Prologos* Hieronymi, & capita indicantes adposuit iisdem. Laterales postillis refertae sunt, inferiores custodibus asterisco vel manu sociatis. Signaturae item occurrunt a—z, A—Z, AA—MM cum num. arabicis; initiales parvis supplentur litteris; pro chartae signo crux monti innixa in aliquibus plagulis visitur. Inscriptio in priori pagina maiusculis typis exculpta legitur, sed pars eiusdem, nimirum tria priora vocabula, in exemplo nostro prius abscissa, eademque deinde restituta, hoc pacto cum reliquis disposita adparent,

postilla
dñi Hugonis

Cardinalis sup⁹ quattuor euangelia
scd⁹m { *Mattheū* / *Marcū* / *Lucā* / *Iohannem* }

Folio 2. recto statim maiusculo expressa typo *Epistola beati Hieronymi ad Damasum papam in quattuor euāgelistas Incipit*. Opus exorditur folio 3. recto titulo praeeunte, *Reuerendissimi in christo patris & dñi: domini Hugonis de sancto charo: sacrosanctæ ecclesiæ Romanæ Tituli sanctæ Sabinæ Cardinalis primi de ordine p⁹dicatorū: in postillā sup⁹ quattuor euangelistas: Prologus*. Ad calcem operis integri legitur, *Explicit postilla dñi Hugonis Cardinalis super euāgeliū ſcm Iohannem*. Registrum adcedit quod pagina excipit vacua. Editio haec Regiae munificentiae pariter debetur, cui vero sit impressio tribuenda ex Bibliographis nondum hausi.

—— Eadem, cum *Commentario* S. Thomae Aquinatis, Venetiis 1482. in fol. min. *Commentarii* character magnitudine inferior illo textus, cuius sectionibus inseritur, adparet & lineas implet 62. in qualibet ex duabus columnis paginarum, sed uterque gothicus est. Signaturae litterarum seriebus a—r, A—Z, AA—JJ arabicisque numeris constant; initialium loca spatia designant; inscriptiones exstant in superioribus marginibus, nullibi vero custodes numerique plagularum; charta librae symbolum inhaerens sibi ostendit. Primum folium typographus vacuum reliquit, secundo autem verso prooemii *operi* praecedentis initium excudit praenotavitque eidem, *Diui Thome aquinatis cōtinuū in librum euangelij ſcm Mattheum*. Ex prioribus hisce prooemii verbis cui inscriptum sit *Commentarium* in *Evangelium* Matthaei patet, (s) *Anctissimo ac reuerendissimo patri domino urbano diuina prouidentia pape quarto: frater Thomas de aquino ordinis fratrum predicatorum: cum deuota reuerentia pedum oscula beatorum*. Marci *Evangelium* in idemque *Commentarium* prooemii initium hoc refert, (r) *Euerendo in Christo patri domino Hanibaldo basilice. xij. apostolorum venerabili presbytero cardinali frater Thomas de Aquino ordinis fratrum predicatorum se totum*. *Commentaria* in *Evangelia* Lucae & Ioannis nulli inscribuntur, licet prooemio instructa sint. Ad cuiusvis *Evangelii* calcem tabula exstat, illaque in Iohannis *Evangelium* absoluta typographus notavit, *Beati Thome Aquinatis Continuū in quattuor euāgelistas finit feliciter: magna cura diligentiaq; emendatū atq; correctum: impressum Venetijs impensa ingenioq; Hermanni Liechtensteyn Coloniens⁹: atq; Iohannis hamman Spirensis sociorum: Anno dñici natalis. M. CCCC. LXXXII. Die ṽo quarta Septembris*. Registrum & vacua pagina adcedunt.

—— Alia editio, Venetiis 1493. in fol. min. Charta huius voluminis pilei signum adhaerens sibi praeter alia ostendit. Litterae gothicae in quavis ex duabus co-

columnis quibus constant paginae lineas implent 66. Textus maiori typo exprimitur & sectionibus *Commentarii* inseritur. Inscriptiones in superioribus adsunt marginibus, quibus pariter foliorum numeros 2—313. quinque plagulas postremas excludentes typographus insculpsit. Signaturae inferioribus impressae series litterarum a — ꝶ, aa — oo cum arabicis notis amplectuntur; custodes penitus desiderantur; initiales ligneae florentes capitum initium ornant. In priori pagina haec sunt maiusculis elementis notata, *Opus aureum sancti Thome de aquino super quatuor euangelia*. Folio secundo recto opus incipit titulo praeeunte, *Diui Thome aquinatis continuum in librum euangelij s9m Mattheum*. Ad calcem occurrit *Tabula Euãgelioꝝ toti9 anni. scd9m ritum romane curie*. quam alia excipit iuxta ritum Fratrum Praedicatorum & in fine huius notatur, *Beati Thome Aquinatis Continuum in quattuor euangelistas finit feliciter: magna cura diligentiaq; emendatum atq; correctum: ĩpressum Venetijs arte ingenoq;* (sic) *Boneti locatelli: Impẽsa nobilis viri Octauiani scoti modoetiẽsis*. 1493. *pridie nonas Iunias*. Registrum & Octaviani Scoti signum adcedunt, nec aliquid in postrema legitur pagina.

—— Item, *Epistolae S. Pauli*, cum S. Thomae Aquinatis *Commentariis*, Venetiis 1498. in fol. min. Editio haec similis est praecedenti sed numerationem foliorum habet 1 — 260 a qua exulant 12. priores & postrema plagula, & signaturas, a, b, a — ꝶ, AA — GG; librae signum quum folia luci admoverem statim obvium fuit. In priori pagina voluminis maiusculis characterum formis impressor notavit, *Sancti Thome de Aquino super epistolas Sancti Pauli Cõmentaria preclarissima. Cum tabula ordinatissima*. Tabula ipsa inchoat fol. verso & duos complectitur fasciculos, opus autem sumit exordium a tertio praeceditque initio prologi titulus, *Angelici Doctoris Sancti Thome de aquĩo in Epistolas Sancti Pauli. Cõmentaria Feliciter incipiunt*. Ad calcem operis *Finis* primum legitur, deinceps vero, *Finit explanatio sancti Thome de Aquino ordĩs fratꝝ p9dicatorũ in omnes epl9as beati Pauli apl9i: caracteribus Boneti Locatelli Bergomẽsis imp9ssa: Ductu ꝰo & impẽsis Nobilis Virj Dñi Octaniani Scoti Ciuis Modoetiẽsis in medium data. Anno a partu virginis salutifero Millesimo quadringentesimo nonagesimo octauo. Die ꝰo vigesima secũdà mẽsis decẽbris. In ĩclita Vrbe Venetiaꝝ Augustini Barbadici Ducis invictissimi Tempestate*. Possessor codicis Ioannes Vespuccius Canonicus Florentinus, tum in hac penultima tum in priori pagina, ubi etiam illud *Camilli Iunii* & aliud alterius possessoris litura deletum, adparent, nomen suum notavit, in ultima vero pagina ubi impressor registrum & Octaviani Scoti signum impressit, idem Ioannes hexasticon scripsit quod incipit, *Surge age crede. pios vocat ad sua premia Christus* &c.

Bithynorvm, *Epistolae* ad M. Brutum, Rinucio Thettalo interprete, Florentiae 1487. Exstant cum Bruti *epistolis*, v. *Bruti*.

Bitonto (*Antonii de*), *Quaestiones* in *Epistolas* & *Evangelia Quadragesimae*, Venetiis 1494. Exstant cum textibus *Epistolarum* & *Evangeliorum*, *Postilla* Lyrani, & Alexandri de Ales *Quaestionibus* de eadem materia, quarum mentionem facere superius artic. *Ales* omisimus, v. *Epistolae*.

—— Alia editio, Venetiis 1500. v. *Epistolae*.

Boccaccii (*Ioannis*), *Vrbano*, sine notis typographicis in 4. min. Rotundi characteres nitidi occupant lineas 27. in paginis plenioribus. Signaturae litteris A — H numerisque rom. min. expressae sunt; fol. numeri & custodes desiderantur, nec aliter quam parvo typo notatur initialis; charta figuram quamdam rudem draconis oculis lucis ope offert in-

inspiciendam. In priori pagina haec adest inscriptio,

OPERA IVCVNDISSIMA NOVAMENTE RETROVATA DEL FACVNDISSIMO ET ELEGANTISSIMO POETA ME SER IOANNE BOCCHACIO.

Eadem occurrit *operi* praefixa in tertia libelli pagina, opusculi autem calci additur tantum FINIS. Integra pagina characteribus destituta adcedit. Crevenna in *Novo Catal.* Vol. III. pag. 87. editionem hanc anni circiter 1490. iudicat, Haymus antiquissimam & pulcherrimam vocat. Quod spectat ad auctorem, Boccacio perperam tributum hoc opus fuisse Zenus in notis ad Fontaninium aliique eruditi iudicant.

BOETHII (*Anicii Manlii Torquati Severini*), *De consolatione philosophiae*, cum germanica versione, & latino *Commentario* S. Thomae Aquinatis, (Norimbergae) 1473. in fol. mai. Tam splendide & magnifice impressionem hanc typographus executus est, ut elegantioribus certe adnumeranda sit. Charta alba, firma, & optime levigata est; characteres iidem sunt quibus *Biblia* descripta anni 1475. Koburgerus ipse excudit chartaeque respondent, quum praecipue nitidiores etiam adpareant utpote vi preli minus extriti. Margines a quocumque signo liberae amplae satis visuntur; initialibus adpingendis spatia destinavit typographus, quibus revera pictas inseruit illuminator. Boethii textus spatia interlinearia perampla exhibet, quum vacuum alternatim relictum sit unius lineae spatium, adeo ut non amplius 23. in integris paginis contineat. Versio germanica quae sectioni cuilibet subiungitur spatiis consuetis est praedita, & lineas 46. complectitur in paginis. *Commentarium* S. Thomae ab opere distinctum eidemque subiunctum duplici columna exprimitur, & in unaquaque lineas 47. continet. Foliis impressis constat opus 191. quae obsignantur rosa vel strigili. Prima *operis* pagina, quae & prima voluminis, initialem pictam & deauratam eodemque pacto tres margines ornatas ostendit. Titulus praecedit, *Anity Manly Torquati Seuerini Boety Ordinary Patrity uiri exconsulis de consolatione philosophie liber primus incipit Metrum primum eroicum elegiacum*. Fol. 89. verso *Boety philosophice consolationis liber quintus explicit*. folio autem 90. recto *Sancti Thome de aquino sup⁹ libris Boety de consolatione philosophie comentū cū expositione feliciter incipit*. Ad huius calcem typographus verba ista quinque distincta lineis excudit, *Hic liber Boecij de ɔsolatione philosophie in textu latina alemanicaq; lingua refertus ac translat⁹ una cū apparatu & expositione beati Thome de aquino ordinis predicatorum finit feliciter. Anno domini M.CCCC. lxxiij. xxiiij. mensis Iuly*. Post lineae unius intervallum legitur,

Condidit hoc Ciuis alūnis Nurembergensis
Opus arte sua Antonius Coburger.

Tabula adcedit alphabetica quae plagulas 5. postremas complectitur, sed pagina ultima partem prioris columnae & totam secundam vacuam exhibet, quum spatium illud superfluum sit tabulae. Principem hanc, omnibus numeris absolutam, eamque rarissimam editionem Maittairius refert T. I. pag. 323.

—— Alia editio, sine ulla versione, cum *Commentariis* S. Thomae & Iodoci Badii Ascensii; adcedit M. C. Quintiliani *de officio discipulorum*, cum eiusdem Ascensii *explanatione*; item Boethii *de disciplina Scholarium* cum S. Thomae *Commentario*, Lugduni 1499. in 4. min. Character huius voluminis gothicae est formae maioris & minoris, *Commentaria* enim textum circumdantia minutioribus exprimuntur litteris, quae lineas implent in singulis paginis integris 54. Margines superiores inscriptionibus praeditae sunt, externae postillis, inferiores signaturis, quae complectuntur litterarum series a—x, A—F cum num rom. min. Initiales principes formis ligneis caelatis florentrcn-

rentibus exprimuntur, reliquae uncialibus formis sine aliquo ornatu. In priori pagina haec leguntur verba, quarum princeps littera xylographica florens cernitur, *Commentum duplex in Boetiū de consolatione philosophie cum utriusq; tabula. Item commētum in eundem de disciplina scholarium: cum commento in Quintilianum de officio discipulorū: diligenter annotata*. Folio verso *epistola* nuncupatoria Ascensii imprimitur, quae nullo praecedente titulo sic incipit, *Quas quotidiano ferme convitio ut emitterem aliquando efflagitasti: eccas tibi Stephane optime in Boetium de consolatione philosophie commentatiunculas* &c. Folio secundo recto prooemium S. Thomae adest quod illud Ascensii excipit, quinto autem recto *Anitij:* (sic) *Mālii: Torquati: Seuerini boetij. Ordinarij: Patricij: viri: Exconsulis: de consolatiōe philosophie. Liber. prim⁹ ſilicit⁹* (sic) *īcipit*. Ad calcem Boethii & *Commentariorum* legitur, *Finitur Boetius de consolatu philosophico cum duplici cōmento sancti Thome: videlicet & Ascensij*. Vacuum folium exinde occurrit, deinceps tabulae utriusque *Commentarii* accedunt quae sex folia cum dimid. implent & eorumdem septimo verso *Marci. Celij. Fabij. Quintiliani de officio discipulorum compendiosissima preceptio* incipit, in eamque *Ascensii explanatio compendiosa*, quarum utraque tres paginas nec integras complectitur. Sequitur Boethii opus *de Scholarium disciplina* cum Thomae *Commentario*, quibus omnibus absolutis hexasticon legitur cui subdidit typographus notitiam hanc, *Finitur Boetius de disciplina scholarium cum commento Impressus Lugduni. opera Iacobi maillet. Anno domini. M.cccc.xcix. die. xxiiij. Octobris*. Vacua pagina superest. Quid sentiendum sit de *Commentariis* S. Thomae in Boethium iam superius innuimus T. I. col. 389.

Bollani (*Dominici*), *De conceptione Virginis Mariae* opusculum, quo a labe peccati originalis immunis demonstratur, Venetiis 1490. Exstat in *Quadragesimali* Roberti *Caraccioli* fol. 168. verso, v. *Caraccioli*.

Dominicus Bollanus Venetus, Candiani Senatoris filius, ortus est circa annum 1445. Parentis vestigiis inhaerens nullum non movit lapidem ad animum optimis disciplinis excolendum, inque Patavino Gymnasio lauream philosophicam adeptus est. Philosophiae studio theologicam scientiam coniunxit, doctorumque virorum aestimationem in utraque facultate sibi conciliavit. Nicolaum Marcellum, & Petrum Mocenicum Venetorum Duces in solemnibus exequiis laudavit. Reipublicae Legatus ad Genuenses & Matthiam Hungariae Regem profectus est, patriaeque honores obtinuit; sed quum Advocati, vulgo *Avocator del Comune*, officio fungeretur, pecuniae a reis acceptae a Collega adcusatus, a patria profugus exilioque multatus, vitae cursum Caniae Cretae oppido miserrime consummavit anno 1496. Ex Augustinio *Scrittori Veneziani* T. I. pag. 521.

Boneti (*Nicolai*), *Formalitates secundum viam Scoti*, Venetiis 1489. Exstant cum Petri Hispani *Summulis Logicalibus* a Nicolao de Orbellis expositis, v. *Hispani*.

Nicolaus Bonetus Hispanus, Ordinis Minorum circa ann. 1480. scripsit *Postillam* in *Genesim*, *Commentarios* in IV. Libros *Sententiarum*, *Tractatum de Conceptione*, & *formalitates*, si Fabricio fides habenda est in *Bibl. med. & infim. latinit.*, qui eius monstrosi erroris *de transubstantiatione Corporis S. Ioannis Evangelistae in Corpus Christi* meminit. Mazzuchellius, Nicolao Boneto Messanensi Minoritae, & Episcopo Melitensi circa medietatem saeculi XIV. tria opera primo laudata tribuit, additque *Metaphysicam*; *Formalitates* vero alteri Boneto adscriptas fuisse ab Ioanne a S. Antonio in-

in *Bibl. Univers. Francisc.* tradit, sed fortasse ob *Tractatum de Conceptione*, quem adscribit eidem, cum Nicolao Boneto *Postillae* in *Genesim* &c. auctore ab illo confusum fuisse suspicatur, quod aliis expendendum relinquo.

Bonifacii *PP. VIII. Liber VI. Decretalium* cum *Apparatu* Ioannis Andreae, Moguntiae 1476. Nulla circumponuntur marginalia signa paginis huius voluminis quod plagulis 162. constat. Character gothicus conspicuus duplici columna tam in textu quam *Apparatu* textum circumdante distinguitur, & in paginis plenis lineas 66. minor *Apparatus* character complectitur. Initiales omnes pictae illuminatoris industria adparent, tituli rubri impressi habentur; charta firma obsignatur rosa, strigili, & uva. Prima pagina initialem & marginem inferiorem ornamentis depictis auroque illitis ac praecipue duobus stemmatibus insignem ostendit. Nullus titulus *Apparatui* praefigitur, sed textus huic rubricato subiacet, *Incipit libꝰ sextus decretaliū dñi bonifacij ppꝰe. viij.* Eodem colore exprimitur notitia huiusmodi typographica in summitate penultimae paginae, *Sexti decretaliū opus pꝰclarū in nobili vrbe Magūcia quā imprimēdi arte ingeniosa gratuitoq; dono gloriosus deus plus ceteris terraꝝ natiõibꝫ pꝰferre illustrareq; dignatus ē nō atramento e plumali ereaq; penna cannave! sed adinuētione quadā ppulcra pꝰ venerādū virū Petrū schoyffer de gernssheym feliciter ē consummatū. Anno dñi. M.cccc.lxxvi. die nona mensis Ianuarij.* Duo scutula rubra ut in *Bibliis Moguntinis* vidimus adcedunt, nec aliud in hac & tota sequenti postrema pagina notatur. De-Bure in *Catalog.* Bibl. Ducis de la Valliere T. I. pag. 323. editionem hanc perraram & ipsi Vürdtwenio, qui Moguntinas editiones diligentissime recensuit, ignotam describit, sed obiter animadvertendum est *Apparatum* in *Sextum Decretalium* necnon in Libros V. Gregorii IX., & *Constitutiones* Clementinas Ioannis Andreae Iurisconsulti celeberrimi, perperam tribuisse Ioanni Andreae Episcopo Aleriensi. Laire in *Indice Libror.* edit. anno 1791. P. I. pag. 386. eamdem nostram editionem refert, & illi anni 1473. eiusdem typographi similem, sed diversam tamen esse non tantum typographica subscriptione quam compendiariis notis observat.

—— Alia editio, Basileae 1476. in fol. mai. Haec praecedentem descriptam plerumque imitatur, in his tamen differt; signantur eius folia, quae 162. sunt ut in illa, figuris litterae D cum cruce lineari duplici, capitis bubuli parvi e quo linea procedit cruce decussata in summitate secta, uvaeque racemi, & minus alba sunt. Initialis princeps littera, quae minicularii industria non secus ac reliquae adcessit, Pontificis Bonifacii icone ornatur. Titulus praefigitur textui, *Incipit libꝰ sextꝰ decretaliū dñi bonifacij pꝰpe. viij.* In penultima pagina Voluminis haec rubris characteribus expressa leguntur,

Pressos sepe vides lector studiose libellos
Quos eciam gaudes connumerare tuis.
Si fuerint nitidi tersi si dogmata digna
Contineant. et sit littera. vera. bona...
Dispeream nisi inuenias hec omnia in istis
Quos pressit Wenszlers ingeniosa manꝰ
Nam quecunq; fuit hoc toto codice pꝰssa
Littera. solicito lecta labore fuit.

Insigne et celebratissimum opꝰ Bonifacij octani quod sextum decretalium appellant In preclarissima vrbe basiliensi Ingenio & arte Mihahelis Wenszlers Impressum feliciter est finitum Anno domini septuagesimosexto post millesimum et quadringentesimum octano ydus Iulij.

Duo scutula eiusdem coloris trunco pendula typographi stemmata repraesentantia subduntur epigrammati & subscriptioni; pagina ultima charactere nullo est praedita. Huius meminit editionis Cl. Michael Denisius in *Supplem. Maittair.* pag. 60.

—— Alia editio, cum eodem *Apparatu* ac insuper *Lucubrationibus* & *additamentis* Hieronymi Clarii, & *Summulis* ac *divisionibus* Dominici de Sancto Geminiano, Venetiis 1491. in fol. mai. divisis columnis. In hoc volumine ea quae ad typographicam oeconomiam spectant oculis conlustrans, characterem gothicum maiorem & minorem deprehendi, quorum secundus ad *Commentaria* pertinens lineis 82. columnam explet. Signaturas a — n romanis minoribus numeris sociatas inferioribusque marginibus impressas, inscriptiones & numeros plagularum 4 — 104. in superioribus offendi. Initiales vel rubras unciales, vel parvis typis indicatas, sive spatio tantum inveni. Custodem nullum vidi; inter chartae signa balistam inscriptam circulo lucis ope detexi. In priori pagina impressis litteris destituta possessoris nomen hoc pacto mss. legitur, *Decretales istius sexti & Clementinarum voluminum* (unica enim compactura ligatur *Sextus Decretalium* & Liber *Clementinarum Constitutionum*) *Donavit huic Sapientie gratis et amore Dei venerabilis præsbiter Dominus Stephanus Iohannis de Cauchis anconitanus S.mi D. N. p. p. Leonis X. Cubicularius, & Cathedralis florentine ecclesie capellanus dignissimus obiit. n. octavo idus octobris* 1514. *oretis legentes ut eius anima in pace quiescat amen.* Folio verso tabula alphabetica rubricarum imprimitur quae & sequentis paginae partem maximam occupat, secundo autem fol. verso incipit *Arbor consanguinitatis & adfinitatis* Ioannis Andreae quae tertio verso absolvitur. Opus itaque exorditur fol. 4. recto, & eidem praefigitur titulus ruber huiusmodi, *Sexti libri decretalium cõpilatio illustrata lucubratõnibus & additamentis clarissimi utriusq; iuris doctoris hieronimi clarij brixiani cum sũmulis & diuisionibus dñici de sancto gemi. & aliorum in locis vbi desunt sũmaria Io. an.* Ad voluminis calcem *Finis* primum notatur ac deinceps compendioso registro haec praefixa leguntur typographicae subscriptionis verba, *Venetijs per Baptistam de Tortis. die. iiij. nouẽbris. M.cccc.lxxxxj.*

Bracciolini (*Poggii*), v. *Poggii Florentini.*

Brant (*Sebastiani*), *Carmen sapphicum de laude et exornatione ordinis Cartusiensis*, Parisiis sine typographicis notis. Exstat cum libello S. Basilii *de vita solitaria* & aliis opusculis excusum, v. *Basilii.*

Brvni (*Leonardi*), Versio latina ex graeco Platonis *Apologiae Socratis*, sine ullis typographicis indiciis. Quamvis nullatenus referat auctoris nomen, licet e graeco versa adpareat, constat tamen ad Platonem pertinere, v. *Platonis.*

—— Eiusdem, Versio latina ex graeco Plutarchi *vitarum* Antonii, Aristidis Ciceronis, Demosthenis, Tiberii & Caii Gracchorum, Pauli Aemilii, Pyrrhi & Sertorii, Venetiis 1491. Exstant cum aliis Plutarchi *vitis* ex diversorum interpretatione, v. *Plutarchi* & conf. T. I. huius *Catalogi* col. 421.

—— Eiusdem, Versio latina ex graeco *Orationis* Aeschinis in Ctesiphontem, *Orationis* Demosthenis in Aeschinem, & *Epistolae* Aeschinis ad S. P. Q. Atheniensem, (Norimbergae) 1497. Exstat cum Ciceronis libris *de Oratore*, ab Omnibono Leoniceno *Commentario* explanatis & aliis Ciceronis *operibus* absque *Commentario*, v. *Ciceronis.*

Brvti (*Marci*), *Epistolae* ex graeco in latinum traductae a Rinucio Thettalo, quas inter, praeter Mithridatis praefationem, occurrunt *Epistolae* Pergamenorum, Rhodiorum, Coorum, Trallianorum Patarensium, Canniorum, Galliorum fratrum, Cyzicenorum, Smyrnaeorum, Milesiorum, Lyciorum, Bythinorum & Damae, Florentiae 1487. Exstant impressae cum *Epistolis* Diogenis a Francisco Accolto Arretino e graeco pariter idiomate in latinum traductis, v. *Diogenis.*

CAL-

CAL

CALLIMACHI *Cyrenaei*, *Hymni*, graece, litteris quadratis expressi, (Florentiae) sine notis typographicis in 4. min. Nullis instruitur custodibus hic libellus foliorumque numeris. Initiali prioris *Hymni* excepta reliquae omnes desiderantur, spatiis omnino vacuis relictis. Signaturae Α—Γ cum num. rom. mai. tres fasciculos distinguunt, qui simul sumpti folia 24. complectuntur chartae satis firmae albaeque florisque signo notatae. Lineae 24. in paginis singulis integris adparent. Praecedit titulus

ΚΑΛΛΙΜΑΧΟΥ ΚΥ
ΡΗΝΑΙΟΥ ΥΜΝΟΙ.

Ad calcem legitur,

ΤΕΛΟΣ ΤΩΝ ΕΥΡΙΣΚΟΜΕΝΩΝ ΚΑΛΛΙΜΑ
ΧΟΥ ΥΜΝΩΝ.

In ultima pagina graecum epigramma Jani Lascaris legitur titulo praevio,

ΕΙΣ ΚΑΛΛΙΜΑΧΟΝ

Subscribitur eidem auctoris nomen hoc pacto,

ΛΑΣΚΑΡΕΩΣ

Maittairius T. I. pag. 105. qui rectissime iudicat ex eadem officina prodiisse hunc libellum qua *Anthologia*, Apollonius Rhodius, Euripides, *Gnomae* & Musaeus, de quibus suis locis in T. I. & II. egimus, hoc epigramma ex Gulonii latina versione retulit. Haec Callimachi princeps editio rarioribus Bibliothecarum cimeliis adnumeratur.

CANNIORVM, *Epistolae* ad M. Brutum, Rinucio Thettalo interprete, Florentiae 1487. Exstant cum illis Bruti, v. *Bruti*.

CANONES *Poenitentiales* ex *Summa* Astesani extracti, Venetiis 1473. Exstant cum *Supplemento Summae Pisanellae* Nicolai de Auximo, v. *Auximo*.

—— Alia editio, Venetiis 1474. v. *Auximo*.

—— Alia editio, Venetiis 1474. v. *Auximo*.

CANOVA (*Ionselmi de*), *Compendium Postillae* in *Evangelia* Philippi de Monte Calerio, (Mediolani) sine anni & loci distincta notitia in 4. min. Convenit omnino haec editio in rebus typographicis cum *Quadragesimale* Philippi de Monte Calerio T. II. col. 206. descripto, signatur attamen litteris A, B, a—ꝶ, aa—hh. Praecedit *Tabula alphabeti* duos priores complectens fasciculos, secundo autem statim *Incipit compendium postille edite a fratre Philippo de monte calerio ordinis minorum. abbreuiatū per fratrem iōselmum de canoua de cumis: tunc custodē cumanum eiusdem ordinis. Dominica prima de aduentu domini. Euangelium primum. Expositio prima.* Ad calcem typographus adnotavit, *Explicit Compēdium postille edite a Fratre Philipo d⁹ Mōte Calerio abbreuiatum per Fratrem Ionselmum de Canoua. de Cumis: tunc Custodem Cumanum Ordinis Minorum. h⁹ scriptum de manu sua. Quē deus benedicat. Amē.* Registrum adcedit cui subditur symbolum Udalrici Scinzenzeleri typographi Mediolanensis, & vacua superest pagina. Saxius huius *operis* non meminit.

CAPRANICAE (*Dominici*), *Opusculum de arte bene moriendi*, italice, (Florentiae) 1488. in 4. min. Linearum 24. coagmentatio formam integram cuiusvis plenae paginae efficit. Margines, dummodo excipias signaturas a—d cum num. rom. min., licet amplae, nullo insculpto signo praeditae sunt. Initiales parvis typis cusae spatiis quadratis insertae habentur; character rotundus est ele-

elegantis moduli; charta firma & polita signatur Florentino lilio & vase naviculae figuram referente. Circa summitatem principis paginae duabus lineis distincta haec legitur inscriptio, *Questa operecta tracta dellarte del ben morire cioe in gratia di dio*. Folio 2. recto inchoat prooemium, cuius titulus ita exprimitur, *Comincia el* (sic) *proemi dellarte del bẽ morire. cioe in Gratia di Dio: Compilato et composto per reuerendo Padre Monsignore Cardinale di Fermo. ãno Domini. M. CCCC. Lii.* Eodem folio verso opus incipit, quo absoluto legitur primo, FINIS. DEO. GRATIAS. AMEN. exinde vero, *Qui finisce lopecta dellarte del ben morire cõposto* (sic) *perlo reuerendo in Christo padre monsignore Cardinale di Fermo a Roma negli anni del nostro signore Iesu xp°o. M. CCCC Lii. nel pontificato di Papa Nichola Quinto. Anno Sexto.* Rhythmus italicus adcedit qui una cum sequenti subscriptione paginam penultimam & alterius partem occupat,

Finito A laude didio et della Vergi
ne Maria perme Frãciescho (sic) *di*
dino di Iacopo fiorentino
negli ãni del signore.
M.cccclxxxviii. E
adi. vi. del mese
di Febraio.

FINIS.

Editionem hanc velut anni 1487. referunt Cl. Morellius in *Catalog. Bibl. Pinell.* T. IV. pag. 21. & Haymus, nisi diversa a nostra exstet eiusdem typographi Florentina editio loci pariter expressione destituta.

Dominicus Capranica Nicolai filius, Episcopus Firmanus & Cardinalis, vir tum doctrina, tum rerum gerendarum prudentia instructissimus & saeculo XV. celeberrimus, lucem adspexit Romae anno 1400., diem vero supremum clausit anno 1450. Ipsum plurimi Scriptores coaevi recentioresque maximis laudibus extulere, inter quos Tiraboschius in T. VI. pag. 279. eius *vitae* praecipua complexus est.

Caraccioli (*Roberti*), *Opus Quadragesimale*, sive *Sermones Quadragesimales;* adcedunt *Sermones* sex, nimirum *in festo adnunciationis B. M. V.*, *de numero praedestinatorum & damnatorum*, *de catenis*, *de spe bona*, *de virginitate*, *& de iudicio pestilentiae;* item *Sermones de Adventu & de festivitatibus a Nativitate domini usque ad Epiphaniam* &c. quibus subditur Dominici Bollani opusculum *de conceptione B. M. V.* Nicolao Marcello nuncupatoria *epistola* inscriptum; item Roberti Caraccioli opus *de timore iudiciorum Dei* &c. Venetiis 1490. in 4. min. Margines quae paginas circumstant signis omnibus iis praeditae sunt quibus plagularum ordo servari solet; superiores igitur numeris 3—336, qui duas postremas chartas excludunt, refertae sunt, inferiores, praeter custodes, signaturas ostendunt a—ꝶ, A—Q cum arabicis numeris. Character gothicus est, quumque duplici columna distinctus adpareat in utralibet lineas 51. continet. Initiales parvis formis descriptae spatiis quadratis insertae visuntur; charta librae figura obsignatur. In priori pagina legitur, *sermones fratris roberti*. Folio secundo recto tabula *sermonum*, usque ad illud *de iudicio pestilentiae* inclusive, imprimitur, tertii autem priori pagina, quae titulos rubros ostendit, opus exorditur subiectum verbis, *Sacre theologie magistri necnõ sacri eloquij p°conis celeberrimi fratris Roberti episcopi Aquiñ: ordinis minorũ professoris op° quadragesimale perutilissimum. quod de penitentia dictum est: feliciter incipit.* Ad calcem operis finis legitur ac postea, *Celeberrimi theologie magistri necnõ sacri eloquij p°conis fratris Roberti episcopi Aquineñ. ordinis minorꝶ professoris sermones quadragesimales: de aduẽtu: & de timore iudicioꝶ dei cũ quibusdã alijs annexis feliciter expliciunt. Impressi in* *cini-*

ciuitate Venetiarū per Ioānem de Forliuio & Gregorium fratres Anno dñi. M.CCCC.LXXXX. die: 15. Martij. Signum typographorum adcedit, & in paginae ultimae anteriori facie registrum exstat, nil vero in posteriori.

Caroli IV. *Imperatoris, Decretum super libertate spiritualium personarum & Ecclesiarum immunitate*, quod *Carolinae* nomen obtinet, germanice, (1476.) sine loci & typographi indicio. Exstat cum *Regulis Cancellariae* Pauli II. & Sixti IV. v. *Pauli*.

Chronicon, germanice, Augustae Vindelicorum 1496 in fol. parvo, cum figuris ligneis Regum, Principum, virórum inlustrium, urbium, locorum &c. paginis insertis quemadmodum vidimus in editionibus latina & germanica Norimbergensibus anni 1493. T. I. col. 518. 520. sed minoris formae sunt & voluminis moli respondent. Margines quae paginis subduntur nullibi custodes ostendunt, superiores attamen inscriptionibus sunt praeditae, numerisque foliorum ab I ad IV. inclusive verbis notatis; a V. vero ad CCCXXII. hoc pacto *das* V. *Blat*, *das* VI. *blat* &c. In inferioribus signaturae a—z, A—Z, AA—KK cum num. rom. min. adsunt, sed excipere debemus duos priores fasciculos num. arab. tantum signatos & a numeratione pariter exulantes. Characteres quos adhibuit typographus in opere hoc imprimendo nitidi sunt & in columnis vel paginis, non omnes enim paginae duplici columna instructae sunt; lineas 52. complectuntur. Initiales quaedam principes formis ligneis florentibus exprimuntur, reliquae uncialibus typis absque ullo ornamento. Pagina princeps hanc refert inscriptionem missalibus characteribus expressam, *Register Des bůchs des Croniken unde geschichtens mit und pildnussen von ambegin der welt biss auf dise vñsere Zeit*. Folio secundo recto incipit idem registrum sive alphabetica tabula quae duos implet fasciculos principes, excepto ultimo folio vacuo. In sequentis folii anteriori facie legitur operis titulus; in posteriori prologus incipit sive *epitome operum sex dierum* quae desinit in sequenti, & in aversa tabula exstat, Deum regali habitu indutum in Throno sedentem repraesentans. Pagina quae huic proxime adcedit incipit opus in quo Aeneae Silvii Picolhominei *historia rerum per Germaniam & Europam gestarum* cum praefatione suo loco reperitur, ut in edit. Norimbergensibus latina & germanica in T. I. descriptis. Ad calcem integri operis legitur notitia typographica, ex qua patet Augustae Vindelicorum opus impressum fuisse ab Ioanne Schoensperger anno 1496. die 18. Septembris. En ipsius verba, *Hie endet sich das bůch der Cronick vñ geschichten mit figurē vñ pildnissen võ anbegiñ dᵉ welt biss auf dise vnser zeit Gedruckt vñ volēt in dᵉ kayserlichen statt Augspurg durch Hansen schoensperger Im iar nach Cristi geburt. M.cccc.xcvj. xviij. tag des herbstmonats.* Zapf *Annal. Typograph. August.* pag. 40. editionem hanc refert, quae publicae huic Bibliothecae munificentissimi Principis liberalitate adcessit.

Cibaldonis, *de conservatione sanitatis*, opusculum ex duobus coniunctis poematiis italicis coalescens, quorum prius tristichis, alterum hexastichis constat, sine typographicis notis in 4. min. Non tam litterarum rotundarum nitor, quam papyri optima qualitas libellum hunc commendant. Lineae 27. in qualibet occurrunt integra pagina; signaturae, custodes, & numeri plagularum desunt; foliis absolvitur 20. quae librae & anatis signa ostendunt. In priori pagina prosaica exstat praefatio, editoris ut videtur, quae auctorem opusculi manifestat hisce prioribus verbis, *Opera de lexcellentissimo physico magistro Cibaldone electa fuori de libri autentici di medicina utilissima a cõservarsi sano.* &c. Incipit opus sive prius poemation folio verso ab huiusmodi versibus,

Que-

Questa e nerase autentica doctrina
Per ben de tutti: e senza alcun errore
Trata del terzo libro dalmansore

Folio 15. recto linea 18. desinit, statimque incipit, nullo intercedente spatio aut distinctionis signo, secundum opusculum cuius prius hexasticon est huiusmodi,

A voler servar la sanitade
Homo nanzi mangi se de monere
Senza fatiga secundo usitade
Cioe in andar o 'l cazar se adoperi
Nō tanto che li agravi e se pur fossi
Nanzi chel manzi possa se riposi

Folio penultimo recto linea 12. desinit, & post lineae intervallum FINIS notatur, nil vero in postrema pagina. In *Catalogo Pinell.* T. IV. pag. 277. editio perantiqua & rarissima adpellatur. Paitonius eiusdem meminit velut Libri III. Rhasis ad Almansorem traductionis, sed potius opusculum ex Rhasis libro excerptum dicendum est, quam eiusdem versio.

Cibaldo Medicus physicus, quis fuerit, quove loco, aut tempore floruerit, mihi hactenus incompertum est. Quadrius huiusmodi Rhasis compendium Vol. IV. pag. 55. memorat sub hoc titulo, *Historia d' Almansore Filosofo*, sed Cibaldonis nomen nullo pacto indicat & operis auctorem se penitus ignorare fatetur.

CICERONIS (*M. Tullii*), *De Oratore Lib. III. ad Q. Fratrem*, sine ullis notis typographicis, in 4. Paginae huius voluminis amplis marginibus circumscriptae, rotundis elementis nitidis exprimuntur & in lineas 32. divisae sunt. Initialium sedes quadratis spatiis indicaverat typographus, sed pictae, auro illitae, florentesque minicularii industria modo illis insertae visuntur. Signaturas, custodes, numerosque foliorum idem excusor penitus omisit. Plagulis 109. chartae albae, firmae & plana superficie commendabilis opus absolvitur; balista, libra & aquila coronata circulo septa eamdem obsignant. Prior voluminis pagina initium operis titulumque sequentem, qui praefigitur eidem, statim offert, *M. T. Ciceronis ad Quintum Fratrem In Libros De Oratore Præfatio Incipit Foeliciter*. Desinit opus fol. penultimo verso linea 29. quae verba ista complectitur, *animos nostros curamq; laxemus*. Nil excuditur in proxima ultima plagula; graeci characteres desunt. Auctores eruditissimi *Bibliotb. Portat.* P. II. pag. 60. editionem absque ulla nota laudant quae cum illa anni 1471. Ioannis de Colonia, *Operis* Ciceronis *de finibus*, convenit; sed an nostra eadem sit sine conlatione adserere non ausim.

——— Alia editio, cum *Commentario* Omniboni Leoniceni; adcedunt *de perfecto Oratore ad Brutum*, *Topicorum liber ad Trebatium*, *Partitiones Oratoriae*, *de Claris Oratoribus*, Q. Ciceronis *de petitione Consulatus*, & M. Tullii *de optimo genere Oratorum*; item Aeschinis *Oratio in Ctesiphontem*, Demosthenis *Oratio in Aeschinem*, & Aeschinis *Epistola* ad Senatum Populumque Atheniensem, e graeco traductae a Leonardo Bruno Arretino, (Norimbergae) 1497. In fol. min. Figura bubuli capitis cum linea in fronte quae crucem substentat chartam obsignat huius voluminis, quae licet subobscura optime levigata adparet. Charactere rotundo usus est typographus eoque paululum minuto, excepto textu Librorum *de Oratore ad Q. Fratrem* quorum tria latera *Commentarius* ambit lineas in paginis complectens 62. Litteris quadratis *operum* tituli in superioribus marginibus excusi habentur atque inibi foliorum num. occurrunt II—CLXXXV. Signaturae a—z, A—H cum arab. notis inferioribus insunt, custodes desiderantur; graecis characteribus addendis spatia relinquuntur; initialium quaedam parvis formis, quaedam spatiis tantum notantur. In priori pagina haec legitur inscriptio,

TVLIVS DE ORATORE.
CVM COMMENTO
ET ALIA OPERA

Folio verso, CLARISSIMI *& eloquentissimi Rhetoris Omniboni Leoniceni: Oratio de*

de laudibus eloquentiæ fœliciter incipit. Haec *Oratio* cum *praefatione* eiusdem Leoniceni quae proxime adcedit duas principes occupat plagulas, opus enim cum *Commentario* incipit fol. 3. recto & cuilibet titulus adponitur, textui scilicet, MARCI TVLLII CICERONIS AD *Quintum fratrem in libros de oratore præfatio*, alteri vero litteris quadratis, *Omniboni Leoniceni Rhetoris clarissimi in Marci Tulii Oratorem ad Qu. Fratrem: Commentarium foeliciter Incipit.* Opere integro absoluto haec pro coronide verba notavit impressor, *Vniversi operis ab Anthonio koberger impræssi Anno a Natiuitate domini Millesimo quadringentesimo nonagesimoseptimo finis. Die xxvi. Marcii.*

—— Eiusdem, versio latina metrica fragmenti *Phoenomenon* Arati, Venetiis 1488. v. *Arati.*

CICERONIS (*Quinti*), *De petitione Consulatus*, (Norimbergae) 1497. Exstat cum M. T. Ciceronis Libris *de Oratore* aliisque eiusdem auctoris opusculis, v. *Ciceronis* (*M. Tullii*).

CLAMENGIS (*Nicolai de*), v. *Clemangis.*

CLARII (*Hieronymi*) *Brixiani*, *Additamenta Apparatui* Io. Andreae in Lib. VI. *Decretalium* Bonifacii VIII., & *praeludium* in *Decretales extravagantes*. Exstant cum textu Lib. VI. *Decretalium* & *Constitutionum Clementinarum*, v. *Bonifacii* & *Clementis*.

CLEMANGIS (*Nicolai de*), *De fructu eremi & laude vitae solitariae*, Parisiis sine typographicis notis. Exstat cum libello S. Basilii *de vita solitaria*, aliisque opusculis similibus, v. *Basilii.*

Nicolaus de Clemangis, Catalaunensis, ex pago *Clemangé*, Magister Parisiensis, ex Curia Avenionensi, Benedicti XIII. sive Petri de Luna a conscribendis *epistolis*, & Cantor Baiocensis, vir doctus & saeculo XV. clarissimus, obiit anno 1440. Plura scripsit quae eius doctrinam eruditionem & zelum abunde testantur, ut videre est, praeter alios, apud Fabricium *Biblioth. med. & infim. latin.*

CLEMENTIS *PP. V.*, *Constitutiones*, cum *Apparatu* Ioannis Andreae; adcedunt *Decretales extravagantes* sine *Commentario*, Venetiis 1491. in fol. mai. Convenit haec editio cum illa eiusdem anni & typographi *Libri Sexti Decretalium* Bonifacii VIII. quam superius opportune descripsimus & in his tantummodo differt. Numeri foliorum 2—57. primam plagulam vacuam includunt, postremam vero excludunt characteribus pariter destitutam; signaturae amplectuntur litteras A—H & inferioribus insculptae sunt marginibus. Praefigitur *Clementinis* titulus, *Incipiunt constitutiones Clementis pape quinti vna cum apparatu dñi Ioannis andree.* Absolutis *Clementinis* adcedunt *Decretales extravagantes* cum *praeludio* Hieronymi Clarii quod titulo istiusmodi subiacet, *Hieronymi clarij brixiani iuris vtriusq; doctoris p⁹thonotarij & comitis apostolici ⁊ extrauagãtes decretales breue p⁹ludiũ Ad lectorem.* Pontifices qui has *Decretales* edidere, quibus peculiare articulum destinare non vacat, sunt, Bonifacius VIII., Benedictus XI., Ioannes XXII., Benedictus XII., Paulus II., Martinus IV., Clemens V., Eugenius IV. & Sixtus IV. hoc enim ordine, licet praepostero, collocantur. Ad calcem *Finis.* primum legitur ac subinde, *Venetiis p⁹ Baptistam de tortis. M.cccclxxxxi. die. x. decẽbris.* Registrum & typothetae rubrum symbolum adcedunt.

COMITE (*Rogerii de*), *Oratio* de laudibus Ioannis Castellionei Cardinalis Mediolanensis, Romae 1475. Exstat cum *Margarita poetica* Alberti de Eyb, v. *Eyb.*

CONCILII *Basileensis*, *Transumptum Litterarum* Eugenii IV. *de indulgentiis in Festo Corporis Domini*, (1476.) sine loci & typographi indicio. Exstat cum *Regulis Cancellariae* Pauli II. & Sixti IV. v. *Pauli*.

CONCORDIO (*Barptolemaei de S.*), *Summa Pisanella*, suppleta a Nicolao de Au-

Auximo, quae sub nomine *Supplementi* ad illum refertur, v. *Auximo*.

Conradi, *Archiepiscopi Moguntini*, *Statuta provincialia*, sine typographicis notis. Exstant impressa simul cum Ecclesiae Eystettensis *Statutis*, v. *Eystettensis*.

Coorum, *Epistolae* tres ad M. Brutum, ex latina Rinucii Thettali interpretatione, Florentiae 1487. Exstant cum illis Bruti, quae unica editione cum *epistolis* Diogenis & Hippocratis repraesentantur, v. *Bruti*.

Cornelii *Nepotis*, *Vita* T. Pomponii Attici ex graeco Plutarchi in latinum versa, si editioni fides habenda esset, sed revera ipsius Cornelii stilo conscripta, ut in T. I. animadvertimus, Venetiis 1491. Exstat cum aliis *Vitis* Plutarchi ex variorum latina interpretatione, v. *Plutarchi*.

Cremonensis (*Gerardi*), Versio *primae seu Canonis IV*. Avicennae, quae velut anonyma imprimitur, Ferrariae 1489. v. *Avicennae*.

Cusa (*Nicolai de*), *Coniectura de ultimis diebus mundi*, 1471. sine notis typographicis. Opusculum hoc exstat impressum cum opere Hugonis de Novo Castro quod inscribitur *de victoria Christi*, v. *Hugonis*.

Nicolaus de Cusa, vel Cusanus, a patria Cusa vico Mosellae proximo in Dioecesi Trevirensi, adpellatus, anno 1401. obscuris parentibus ortus, ingenii acumine, animi virtute, doctrinaeque praestantia, illustrioribus aetatis suae viris adcensendum se praebuit. Theologiae & iuri canonico praecipue *operam* navavit & in utraque facultate lauream promeruit. Brixinensis Episcopus in Tirolensi Comitatu fuit, & ab anno 1448. Cardinalis; defunctus est Tuderti in Umbria anno 1464 ut Fabricius tradit in *Bibl. med. & infim. latinit.*

Cypriani (*S. T. Caecilii*), *Epistolae*, quibus duae ad illum insertae sunt, nimirum altera Romanorum Presbyterorum & Diaconorum, altera Maximi, Urbani, Sidonii & Macharii, Romae 1471. in fol. Volumen hoc signaturis, custodibus, foliorumque numeris cassum in unaquaque pagina lineas 38. rotundi characteris elegantis legendas offert. Initiales deerant priusquam miniculator illas adpinxisset. Chartarius papyrum candidam spissamque obsignavit littera B circulo inserta aliisque symbolis. Foliis 184. calamo numeratis & aliis quinque initio voluminis exstantibus opus absolvitur. Quum princeps vacuum sit, secundo recto nuncupatoria incipit *epistola* eique praecedunt istiusmodi verba, *Io. An. Episcopi Alerieñ. ad Paulum. II. Venetum Pon. Max. in epistolas Diui Cypriani. Epistola*. Folio 2. verso absolvitur illamque excipit immediate tabula quae terminatur 4. verso. Adcedit folium vacuum, exinde *Incipiunt epistole Cecilii Cypriani ad Cornelium Papam. Et prima de confessione. feliciter*. Princeps haec operis pagina tres margines auro coloribusque ornatas ostendit, eodemque pacto initialis decoratur quae iconem S. Cypriani Pontificalibus vestibus indutam exhibet. Ad calcem legitur epigramma Sweynheymii & Pannartzii typographorum nomina referens, quod retulimus quum Bessarionis opus describeremus, in rebus typographicis huic consonum, T. I. col. 314. & huic subditur chronologica nota .. M. CCCC. LXXI. Tres vacuae supersunt paginae. De hac editione v. Audiffredum pag. 72.

Cyrilli (*S.*), *Episcopi Hierosolymitani*, *Epistola* ad S. Augustinum, *de miraculis* B. Hieronymi, latine, sine notis typographicis. Exstat impressa cum *Epistola* Eusebii Cremonensis *de vita & obitu S. Hieronymi* sublestae fidei, v. *Eusebii*.

Cyzicenorum, *Epistolae* III. ad Marcum Brutum, Rinucio Thettalo interprete, Florentiae 1487. Exstant cum illis Bruti necnon Diogenis Cynici & Hippocratis, v. *Bruti*.

DA-

DAM

Damae, *Epistola* ad Marcum Brutum, ex latina Rinucii Thettali versione, Florentiae 1487. Exstat cum illis Bruti, v. *Bruti*.

Decretales *Extravagantes* diversorum Pontificum, Venetiis 1491. Exstant cum Clementis V. *Constitutionibus*, v. *Clementis*.

Democriti, *Epistola* ad Hippocratem latine, ex traductione Rinucii Thettali, Florentiae 1487. Exstat cum illis Hippocratis, v. *Hippocratis*.

Demosthenis, *Oratio in Aeschinem pro Ctesiphonte*, latine traducta a Leonardo Bruno Arretino, (Norimbergae) 1497. Exstat cum Ciceronis Libris *de Oratore*, v. *Ciceronis*.

Dini *de Mugello*, *Lectura de regulis iuris*, *Consilia*, *Tractatus de interesse*, *Lectura de actionibus*, & *Lectura super arbore actionum*, Pisciae 1492. in fol. parvo. Signaturae occurrunt, a—k A—E cum num. rom. min. quae ultimum fasciculum numeris 1, 2 signatum excludunt; custodes item margines inferiores, in quibus signaturae indicatae exstant, excusos referunt in quolibet ex foliis versis suturam fasciculi praecedentibus, & in postremis eorumdem fasciculorum paginis. Characteres gothici in quacumque pagina duas columnas implent & quaevis earum communis constat lineis 47. Notandae tamen sunt columnae paginarum fasciculi C, nempe quintae, sextae, septimae & octavae ubi 55. circiter lineae adparent, unde & inferiori margine angustissima sunt praeditae. Initialibus adpingendis spatia relicta fuere cum parvae litterae impressione. Inter chartae signa praecipuum adparet equinum caput. Praecedit tabula *Regularum iuris*, qua statim absoluta in aversa facie, editores haec impressa verba addidere, *Novimus quippe huiuscemodi opus acutissimi Iuris* con. *Dyni de Reg. Iuris: ab alijs impressoribus: hacteuus nõ tam artiori papyro: atq; vt ita dicã breui volumine q; modo a nobis impressum fuisse. Verũ tamẽ: vt nõ nullorũ desiderijs inseruiremus id a nobis saepe efflagitantiũ. Quibus haud hoc denegandũ esse duxerim⁹. Itaq; nõ solũ dearctauimus: Verum etiam illud industria nostra nõ praeter solitũ adamussim & curiose emendauimus Quod quidẽ parui: vt vides: ponderis: vtilitatis tamẽ maxime unusq⁹sq; legum amantissimus: quolibet sine impedimẽto secum ferre poterit ac quasi Enchiridion alterum apud se habere: Cuius quidẽ incalce: etiã & liberalitate nostra bene pensiculata: atq; ex penitissimo legum fonte deprompta. Eiusdem Dyni eruditissimi Consilia alligauimus: Que si quis habere potuerit: Sacculũ pecunia euacuãdo adimplebit*. Folio sequenti *Incipit lectura Domini Dini sup⁹ ti. de regulis iuris li. vi.* Ad calcem integri operis legitur primo, *Finis lectura Dy. sup⁹ arbore de actionum*. (sic) deinde vero, *Finiũt Lecture auree Dy. de Mugello de reg. iu. cũ ꝯsi. eiusdẽ & t⁹ctatu int⁹eẽ: & lectura de act. ac lectura arboris actõnũ Ad laudẽ & gl'iam ĩdiuidue trinitatis & gloriosissime mr⁹is semp⁹ ṽginis Marie piscie impresse ĩpensis nobiliũ iuuenũ Bastianũ & Raphaell⁹ d⁹ Orlãdis d⁹ piscia Anno natiuitatis. Dñi. 1492. die. 24. mensis Mar. Amen.* Adcedunt folium vacuum & tabula *Consiliorum* quae complectitur quatuor folia. Raritas huius editionis ex plurimorum Bibliogra-

phorum quos adii silentio luculentissime patet.

Dinus Rosonius, Iurisconsultus aevi sui celeberrimus, ex Mugello Florentini Comitatus provincia, Iacobi filius, Bononiae legum studio operam impendit, ibique inter discipulos anno 1278. numerabatur, sed insequenti a Pistoriensibus invitatus ea in urbe 200. librar. Pisanarum stipendio quinquennium docendo insumpsit. Bononiam exinde regressus in publico Gymnasio cathedram obtinuit eique omnium primo a civibus stipendium statuitur anno 1289. A Carolo II. Neapolim honorifice adcitus, nihilominus Bononiae mansisse videtur. Bonifacius VIII. illo usus est in compilatione Libri VI. *Decretalium*, quumque Romae versaretur Cardinalitiae dignitatis spe concepta Ecclesiasticae militiae nomen dedit, hac vero frustratus Roma excedens Bononiam reversus est, docendique munus aucto stipendio iterum exercuit. Obiit post annum 1498., & si Philippo Villanio aliisque fides habenda esset, aquae vasi capite immerso, quod ad aestum febrilem sedandum declinarat, suffocatus periit, sed de hac re, vita, scriptisque Dini praecipue consulendi sunt Sartius & Tiraboschius, & hisce anterior Cinellius in mss. nostrae Biblioth. pluries citatis.

Diogenis *Cynici Philosophi*, *Epistolae*, a Francisco Accolto Arretino latinae redditae; adcedunt *Epistolae* M. Bruti cum aliis ad Brutum insertae & *Epistolae* Hippocratis, ex latina versione Rinucii Thettali, Florentiae 1487. in 4. min. Marginum superficies, exceptis signaturis a — h cum rom. min. num. nulla impressa nota inficiuntur, adeo ut frustra quaesiverim custodes numerosque foliorum. Paginae implentur lineis 26. characteris rotundi politi; initiales parvae quadratis spatiis insertae occurrunt; charta signatur triplici monte incluso circulo & flore. Praecedit FRANCISCI ARRETINI ELEGIA AD PIVM. II. PONTIFICEM MAXIMVM quam excipit eiusdem FRANCISCI ARRETINI AD PIVM PONT. MAXIMVM IN DIOGENIS EPISTOLAS PROEMIVM. quod ad folii 3. recti lineam postremam inclusive progreditur. Eodem verso incipiunt Diogenis *Epistolae* quibus absolutis notatur FINIS. Bruti *Epistolae* nuncupatorium prooemium praefixum habent quod subditur huiuscemodi inscriptioni, RENVCII VIRI CLARISSIMI IN EPISTOLAS ERVTI AD NICOLAVM QVINTVM PONTIFICEM (sic) MAXIMVM PROEMIVM. Postremae *Epistolae* quae est Damae ad Brutum FINIS subscribitur, postque vacuam paginam adest in *Epistolas* Hippocratis dedicatoria, qua REVERENDISSIMO DOMINO SVO DOMINO .A. TT. SANCTI CHRISOGONI PRESBITERO CARDINALI VERDEN. (sic) RENVTIVS SE COMMENDAT. Hanc excipit PRAEFATIO IN EPISTOLAS HIPPOCRATIS MEDICI PRAESTANTISSIMI E GRAECO IN LATINVM PER RENVTIVM TRADVCTAS AD NICOLAVM. V. PON. MAX. Ex prioribus verbis discimus Philippi Medici Mediolanensis rogatu Hippocratis *Epistolas* vertisse Rinucium. Haec ad *Epistolarum* calcem impressa sunt verba,

F I N I S

FLORENTIAE
facta est barum epistola
rum impressio Per Antonium
Francisci Venetum. Anno Domini
M.CCCCLXXXVII. X. kalen. Iulias

Pagina suprema ab omni characterum impressione libera occurrit. Maittairius ad ann. 1486. editionem refert sed a Cl. Denisio in *Indice critico* corrigitur, addam tamen non in 8. sed in 4. librum exprimi.

Diogenis *Laertii*, *Vitae* Aristotelis & Theophrasti, graece, Venetiis 1497. Exstant in Vol. III. *Operum* Aristotelis descripto, v. *Aristotelis*.

Dioscoridis, *De materia medica* libri; adcedunt Nicandri *Theriaca* & *Alexipharmaca* cum *scholiis*, omnia graece, Venetiis 1499. in fol. min. Margines quae characterum lineas circumscribunt, exce-

exceptis internis & externis praeditae sunt characteribus, nimirum custodibus & signaturis inferiores ubi litteris • α — ϖ Α — Δ cum num. rom. min. notantur, & superiores librorum titulis quadratis litteris expressis. Elementa graeca 40. lineas occupant in paginis; initiales parvis notis supplentur, prior vero desideratur; tituli librorum quadratis exprimuntur litteris; charta galeri symbolum refert ut expertus sum in aliquot plagulis. In priori pagina, *operum* huius voluminis tituli notantur subditurque iisdem epigramma in Nicandrum graece, in secunda vero nuncupatoria excuditur epistola qua *Aldus Manutius Romanus*, *Hieronymo Donato patritio Veneto*. *S. D.* Index alphabeticus in Dioscoridem fol. 2. recto incipit desinitque sexto recto & post vacuam paginam opus ipsum Dioscoridis inchoat titulo huic subiectum tribus distinctum lineis, ΠΕΔΑΚΙΟΥ ΔΙΟΣΚΟΡΙΔΟΥ ΑΝΑΖΑΡΒΕΩΣ ΠΕΡΙ ΥΛΗΣ ΙΑΤΡΙΚΗΣ ΒΙΒΛΙΟΝ ΠΡΩΤΟΝ. Ad calcem Dioscoridis exstat registrum, & post folium characteribus destitutum adsunt ΝΙΚΑΝΔΡΟΥ ΘΗΡΙΑΚΑ quibus breve elogium, sive ut inscribitur ΓΕΝΟΣ ΝΙΚΑΝΔΡΟΥ, praefigitur. Hoc poemation scholiis ditatur quae tria vel duo textus latera iuxta opportunitatem ambiunt. Post *Theriaca* occurrunt ΝΙΚΑΝΔΡΟΥ ΑΛΕΞΙΦΑΡΜΑΚΑ brevioribus *Scholiis* illustrata, hisque omnibus absolutis legitur, Τέλος Νικάνδρου Ἀλεξιφαρμάκων. Deinde registrum occurrit cui typographus subscripsit, *Venetiis apud Aldum. Mense Iulio. M.ID.* Pagina extrema nullo charactere notatur. Exemplum nostrum foliorum numero integrum, ob typographi incuriam duarum paginarum defectum & totidem superfluitatem ostendit, quod non rite folia verterit praelo subiicienda, ut videre est in fol. ε ii & iiii. Possessor vero codicis qui postillis margines instruxit & *scholia* in Nicandri *Theriaca* circa finem auxit, plagulas mss. addidit quae defectum supplent. Ad calcem voluminis compactor fasciculum decem plagularum adiecit qui graeca *scholia* longiora in *Alexipharmaca* Aldinis typis sed recentioribus excusa continet; duplicia enim *scholia* graeca in Nicandri *Alexipharmaca*, breviora scilicet & prolixiora, exstant ut Fabricius etiam innuit *Bibl. graec.* Lib. III. pag. 621. Haec itaque in Aldi officina saeculo XVI. edita fuisse videntur ut editioni huic addi possent, eadem namque forma excusa sunt, non tamen omnibus exemplis coniuncta reperiuntur. Character in iisdem columna duplici distinguitur & alterutra constat lineis 55. Signatura α cum num. rom. minoribus occurrit, quinto excepto qui arabica nota 5. exprimitur; initialis parvo typo excuditur, custos nullus aut numerus plagularum exstat. Titulus istiusmodi praefigitur operi,

ΣΧΟΛΙΑ ΕΙΣ ΤΑ ΑΛΕΞΙΦΑΡ
ΜΑΚΑ ΝΙΚΑΝΔΡΟΥ

Ad calcem exprimitur ΤΕΛΟΣ. Editio haec Dioscoridis & Nicandri omnium graecarum prima est.

Dvranti (*Guillelmi*), *Rationale divinorum Officiorum*, Venetiis 1494. in fol. min. Impressionem hanc adtente inspicienti nullus obvius fuit custos, signaturas vero insculptas marginibus inferioribus animadverti quae litteras a — u & num. arabes complectuntur. Foliorum numeri item occurrunt in superioribus marginibus 1 — 149 sed duas principes & ultimam excludunt plagulam, inscriptiones pariter in iisdem adparent; initiales vel parvis litteris vel formis ligneis florentibus excusae fuere. Gothicus character duplici columna distinctus in utralibet plena lineas occupat 65. charta obsignatur librae obvio symbolo. Volumen sumit exordium a folio vacuo, secundum rubricas continet, tertio autem recto *Incipit rationale diuinorū officiorū editum per Reuerendissimum in Christo patrem & dominū: dominū Gulielmū duranti: dei & apostolice sedis gratia p⁹sulē Mimatenṡ. q⁹ cōposuit speculū iuris &* pa-

patrũ põtificale. In fine legitur, *Finit rõnale diuiaorũ* (sic) *officiorũ*. *Impressum Venetijs per Symonem beuilaqua Papiensẽ M.cccc.lxxxxiiii. die*. 14. *mensis marcij*. Compendiosum registrum adcedit, nilque in ultima Vol. plagula adnotatur.

EPI

EPISTOLAE *&* *Evangelia Quadragesimae*, cum *Postilla* Nicolai de Lyra & *Quaestionibus* Antonii de Bitonto & Alexandri de Ales, Venetiis 1494. in 8. min. Ex characterum marginalibus impressionibus quae circa paginas fieri solent, nil aliud praeter inscriptiones in ora superiori, & signaturas in inferiori occurrit, quarum series est a — s & rom, num. min. adhaerentes habet. Typus duplex, maior scilicet ad textum pertinens, & minor ad *Postillam* & *quaestiones* quae textum circumdant, gothicus adparet duplicique columna in unaquaque pagina distinctus. Quaevis *Postillae* columna continet lineas 48. Initiales ligneis formis caelatis impressae textus sectiones distinguunt, *postillae* sectionibus litterae unciales absque ullo ornamento praefiguntur, priori excepta. In principe vol. pagina rubricatas litteras huiusmodi excusor notavit, *Postilla seu expositio lr᷒alis et moralis Nicolai de Lira ordinis minorũ sup᷒ epistolas et euangelia quadragesimalia: cũ q̃õnibus fratris Antonij betontini eiusdẽ ordinis*. Octaviani Scoti simbolum floribus circumdatum eodemque colore expressum subditur his verbis. Opus incipit fol. a. recto cum titulo, formae paginae *postillae* Lyrani inserto, ad calcem vero legi, *Postille excellentissimi sacrarũ litterarum professoris Nicolai de lyra ordinis minorũ super epistolas et euangelia quadragesimalia: cũ questionibus fratris Antonij Betontini eiusdẽ ordinis: necnon et Alexãdri de ales: q᷒ antea plurib᷒ in locis depranate fuere: vigilãti studio reuise emẽdateq; Iussu et impensis Octauiani Scoti Modoethiensis: Arte item Ioannis Herczog impresse venetijs feliciter explicite sunt: Anno a natiuitate domini post millesimum quaterq; centesimũ nonagesimoquarto. Idibus mensis decembris*. In postrema pagina impressoris signum exstat.

—— Alia editio, Venetiis 1500. in 8. min. Character gothicus duplex, ut in praecedenti dispositus est, sed minutior in *Postilla* visitur. Collectus linearum 50. columnam integram *Postillae* format. Signis marginalibus instruitur libellus, scilicet alphabeticis litteris a — s cum num. rom. min quae scaporum ordinem servant, inscriptionibus in superioribus marginibus & custodibus in inferioribus postremae paginae aliquot fasciculorum, plerique enim iis destituuntur omnino. Initiales simplices visuntur & utriusque characteris qualitati congruae. In priori pagina imago lignea S. Bernardini Senensis, adest, quae sinistra Solem cum siglis Iesu Christi nomen exprimentibus tenet, dextra librum & tintinnabulum, tres Pontificeales infulae hinc & illinc vacuo in spatio rectanguli, quo imago includitur, adparent. Infra tabellam litterae rubrae hac locatae sunt. *Cum priuilegio*, desuper vero inscriptio eiusdem coloris legitur, nempe, *Postilla seu expositio litteralis & moralis Nicolai de Lira ordilis* (sic) *minorum super epistolas & euangelia quadragesimalia: cum q̃õnibus fratris Antonij betontini eiusdem ordinis*. Folio secundo recto opus incipit, & initialis textus xylographica est; opere

opere absoluto haec pro coronide verba adiecta legi, *Postille excellentissimi sacrarum litterarum professoris Nicolai de lyra ordinis minorum super epistolas & euangelia quadragesimalia: cum questionibus fratris Antonij Betontini eiusdem ordinis: necnon & Alexandri de ales: que antea pluribus in locis deprauate fuere: vigilanti studio reuise emendateque: Iussu & impēsis bernardini stagnini de Tridino. Arte item Ioannis Tacuini de Tridino impresse Venetijs regnante inclyto Principe Augustino Barbadico feliciter explicite sunt Anno a natiuitate Domini. M. D. Idibus Februarijs*. In postrema pagina symbolum typographi exstat.

Evgenii *PP. IV.*, *Privilegium Curialium* &c. (1476.) sine typographicis notis. Exstant cum *Regulis Cancellariae* Pauli II. & Sixti IV. v. *Pauli*.

Evsebii *Cremonensis*, *Epistola* ad Damasum Episcopum Portuensem & Théodosium Senatorem, *de vita & obitu* S. Hieronymi; accedunt *Epistola* S. Augustini ad Cyrillum Episcopum Hierosolymitanum *de laudibus Hieronymi*, & Cyrilli ad Augustinum *Epistola de miraculis* eiusdem, sine notis typographicis in 4. min. Certum hoc solertiae typographicae monumentum numeris fol. & custodibus destituitur, nec initiales refert nisi parvis notatas elementorum formis. Signaturis instruitur a—n cum rom. num. minoribus; rotundi characteres elegantes chartae albae firmaeque insculpti in pagina quacumque plena lineas occupant 24. & amplum marginibus spatium relinquunt; chartarius figura usus est pro symbolo quae mitram Pontificalem quodammodo repraesentat, & anchora inserta circulo. Folio primo verso *Incipiūt Rubrice testamēti beati Hieronymi* quod Eusebii *Epistolae* sociatur incipienti fol. 2. recto his verbis, (r) *Everēdissimo patri damaso portuēsi ep°o ac christianissīo Theodoro* (sic) *senatori urbis romāe clarissīo Eusebius olī Hieronymi sanctissimi discipulus piū nūc uero eodē orbat⁹ lumīe & dolorem & suauissimū gaudium*. &c. Desinit opus integrum hac linea 21. postremae paginae, *in tuis orationibus memor esto*. cui post spatium alterius subscribitur finis. Quae fides habenda sit huiusmodi *opusculis* innuimus T. II. col. 712. eorumdem versionem recensentes; v. & col. 900. Editio nostra illa videtur quam Cl. Denisius retulit in *Supplem.* pag. 560. N. 4872. exemplum Biblioth. Canon. Reg. Claustroneoburgensis indicans ubi manu notatur annus 1479.

Eyb (*Alberti de*), *Margarita poetica*, Romae 1475. in fol. Relinquuntur margines internae, superiores & inferiores huius editionis omnino vacuae, externae vero impressione litterarum refertae sunt illis tabulae alphabeticae respondentium. Paginae ab iis circumdatae lineis constant 44. characteris rotundi elegantis. Initiales spatiis tantum denotantur; chartarius papyrum albam & levigatam obsignavit cornu funiculis pendulo aliisque figuris. Foliis calamo numeratis opus constat 306. quibus addenda sunt 19. omnibus praecedentia, quaeque, exceptis primo & ultimo, tabula duplex implet huic subiecta titulo, *Tabula siue Registrum presentis operis Incipit*. Folio igitur 20. recto, (o) *ratorum omniū: Poetarum: Istoricoꝝ: ac philosophorum eleganter dicta: p⁹ Clarissimum virum Albertum de Eiib in vnum collecta Feliciter Incipiunt*. Ad calcem *Margaritae* plures exstant *Orationes* quarum meminisse debebamus in descriptione recentiorum editionum quae in T. I. huius *Catalogi* occurrit. Sunt autem, duae eiusdem Alberti de Eyb, scilicet I. *de divinissimo Eucharistiae Sacramento*, II. *in laudem S. Hieronymi*; item una Ioannis Lamolae *de omnium artium & scientiarum laudibus*, una Ladislai Regis Hungariae ad Nicolaum V., una Ruglerii sive Rogerii de Comite in laudem Ioannis Castellionei Papiensis Episcopi & Cardina-

dina-

dinalis; adcedunt duae anonymae, quae Alberti videntur, exercitationis gratia compositae, earumque altera *in electione Episcopi vel Praelati*, altera est *Exhortatio ad Clerum;* sequitur Nicolai Perotti *Oratio ex parte Communis Bononiensis in receptione Friderici Romanorum Regis;* item Antonii Panormitae *Oratio ad Regem Aragonium*, anonymi ad *Dominum Marchionem Mantuanum;* item aliae, Bessarionis Cardinalis, & Boncambii de Boncambiis Praeturae officium Florentiae adsumentis quae superius memorari debuerant, & Galeacii Ducis Mediolani filii ad Venetos; item Antonii Panormitae *exhortatio Iannensium contra Venetos*, & Poggii Florentini *Invectiva in Laurentium Vallam*. Has *Orationes* tres excipiunt sine auctoris nomine, scilicet *de laude Civitatis Bambergae*, *in laudem clarissimarum feminarum*, & *in desponsatione Richardae et Marchionis Estensis*. His subditur Poggii Florentini *Laudatio funebris Laurentii Medicei*, cui *Orationes* aliquot Scholasticae adcedunt, quarum priori subscribitur Godfridus Lange, hisque omnibus absolutis notavit impressor, *Summa Oratorum omnium: Poetarum: ac Philosophorum autoritates in unum collecte per clarissimū uirum Albertū de Eiib vtriusq; iuris doctorem eximiū que margarita poetica dicitur: feliciter finem adepta est per ingeniosum virum magistrū Vdalricū Gallū alias Han Alamanū ex Ingelstat ciuem wienensem: non calamo. ereone stilo: Sed noue artis ac solerti industrie genere Rome impressa Anno incarnationis dominice Mcccclxxv. die uero xx. mensis. decembris: Anni Iubilei Sedente Sixto diuina prouidentia papa iiii. pontifice maximo*. Vacua pagina sequitur, exinde folium quod in antica facie registrum continet nil autem in postica offert legendum. Exemplum nostrum politum & optime servatum margines latas ostendit.

Eystettensis *Ecclesiae, Statuta Synodalia* &c. sine notis typographicis, in fol. parvo. Signa quae paginis subscribi solent, scilicet signaturae & custodes ab hoc volumine arcentur prorsus; lineae 41. ad summum semigothici characteris in paginis occurrunt. Numerationes foliorum duas ostendit, nam tribus libellis constat opus integrum, qui separari possunt, eorumque intermedius nulla numeratione praeditus est, ut mox in diligentiori descriptione videbimus. Initiales, sectionum priores dictiones unciales exhibent; tituli maiusculis exprimuntur typis; charta firma sed obscura figura quadam instar draconis signatur. Prior libellus numerationem fol. habet I—XXII quae duas plagulas principes excludit, & haec in illo animadverti. Folio primo recto statim nuncupatoria *epistola* impressoris exstat, qui quum nullam editioni subscriptionem sive notam typographicam adiecerit, hac tamen non obscure sui ipsius & impressionis notitiam tradidit; incipit, *Reuerendissimo In xp°o Patri et dño Domino Wilhelmo dei grā Ep°o Eystetē. Michael Reyser Cum omī subiectione et Reuerentia se totū dedat* &c. Desinit *Ex ciuitate Eystetē* (loco editionis fortasse, ham Michael Reyser ibidem anno etiam 1488. imprimebat ut ex Maittair. *Annal. Typogr.* T. I. pag. 236.) *die Quintadecima. Mensis Marcii. Anno a natiuitate Christi. Millesimo q°dringētesimooctuagesimo Quarto*. Folii versi brevis Episcopi Villhelmi responsio exstat in summitate qua transmittit Typographo exemplum *Statutorum* quod sibi commodari postulaverat, ipsumque monet ut illud sedulo custodiat sibique fideliter remittere curet; data est ex Castro suo sancti Willibaldi die 20. Martii 1484. In extremitate paginae stemmata duo episcopalia ornamentis praedita, & in aere diligentissime caelata occurrunt. Folio 2. recto *Incipit Registrum* quod sequentem etiam occupat paginam. *Eystettensia Statuta* folio 3. recto, primo ex numeratis, exordium sumunt ab illo Episcopi Bertholdi circa Testamenta Clericorum anni 1360.

1360. Sequuntur *Statuta Synodalia* Episcopi Ioannis quibus praefigitur titulus, *Anno Domini Millesimo Quadringentesimo Quadragesimo Septimo Vndecima die mensis Octobris publicata sunt hec Statuta Synodalia septingentis fere p⁹sbr⁹is et clericis in Synodo ꝯgregatis*. Subditur *Statutis*, *Bulla visitationis* Nicolai S. Petri ad Vincula Presbyteri Cardinalis, quam alia excipit eiusdem concordiam inter Episcopum & Praepositum ac Decanum Eystettensis Ecclesiae respiciens. Accedunt *Statuta Synodalia* Episcopi Villhelmi quae desinunt in penultima pagina libelli, quum vacua ultima sit. Alter libellus constat plagulis 14. absque numeris & alia *Statuta* Ioannis Episcopi continet, ac primo *Incipiunt Quatuordecim Articuli*, sive constitutiones observandae in Civitate & Dioecesi Eystettensi, quibus subduntur quaedam germanico idiomate scripta, eaque *Canones* excipiunt, iisque absolutis tabula occurrit alphabetica. Tertius libellus numeros habet fol. 1 — xxxi. & *Moguntina Statuta* continet hoc ordine. Fol. 1. recto *Incipiunt Statuta p⁹uincialia dñi Petri ArchiEp⁹i Magunt⁹* quae ex aliis Synodis excerpta sunt. *Statutis* Episcopi Petri absolutis sequuntur *Statuta dñi Cõradi Archiep⁹i Magũt. ĩ nouissimo ꝯcilio edita* necnon illa Archiepiscopi Theodorici, quibus accedit *Bulla* Nicolai Cardinalis S. Petri ad Vincula Alemanniae Legati & in Dioecesana Synodo Bambergensi Praesidentis, qua opus integrum absolvitur nullam subscriptionem ad calcem exhibens. V. Cl. Denisium T. II. *Supplem.* pag. 670. qui & alterius editionis meminit, ubi *epistola* Willhelmi ad typographum responsiva exstat eiusdem tenoris, eodemque die & anno signata, sed Matthiae Walcher pro illo Michaelis Reyserii nomen referens, ac si uterque eodem tempore Codicem *Statutorum* imprimendum postulasset.

FAS

FASCICVLVS *Temporum*, (Coloniae 1478.) in fol. mai. cum circulis & figuris ligneis ut in aliis editionibus T. I. col 659. & seq. observavimus. Libri compactor nullo indicio marginalium signorum illum adsuere potuit quum desiderentur omnino, sed tantum sermonis connexione inspecta & considerata. Initialibus adpingendis destinata fuerunt spatia; pagina prior quae omnibus plenior adparet lineas gothici characteris 58. praebet legendas, plurimae enim vacuae admodum circa oram inferiorem visuntur; pro chartae firmae signo statim obvium fuit bovinum caput parvum, e quo surgit linea in stellam desinens. Foliis absolvitur opus 72. Praecedit omnibus tabula triplici columna distincta & 8. folia complectens, cui titulus praeponitur, *Tabula breuis et vtilis sũper* (sic) *libello quodã qui dicit⁹ fasciculus tp⁹m et vbi inuenit⁹ pũctus* (sic) *ante numeꝝ est in p⁹mo latere vbi vero post. in secundo latere Iucipit feliciter*. Opus nullo praecedente titulo inchoat nono folio recto desinitque fol. ultimo recto his verbis, *Beatus Simon martirisat⁹ in ciuitate tridẽtina Anno.* 1475. *Eiusdẽ anni die tertio aũ festum pasce Vt fertur Iudei azimũ eoꝝ cum sanguine xp⁹iana fatiunt Tunc Iudei ante domum parentũ suorum Infantem Symonẽ in mense sue etatis tredecima ceperunt Eumq; crucifigeralit⁹ tenebãt Vt sanguinẽ vndiq; ex corpore suo extraherẽt*. Typothetae insignia hisce verbis subduntur, scutum scilicet

ſicet quod instrumentum, vulgo *archipenzolo*, continet & in quolibet ex tribus vacuis spatiis concha locum obtinet, in schedula galeae, scuto imminenti, superimposita legitur, *Scla* (sola) *spes mea vite virgīs grᵃa*. Prope stemma circa oram inferiorem marginis notitia haec typographica exstat,

Fasciculus temporum
A carthusiense cōpilatū
In formā cronicis figu
ratum Vsq; In Annum
1478. *A me Nicolao gotz*
de Seltzstat impᵒssum.

Pagina vacua adcedit. Quum reperiatur editio Coloniensis apud Maittairium huius typographi anni 1474. hanc pariter Coloniae tribuendam esse arbitror. Cl. Denis *Supplem.* pag. 562. recte suspicatur annum 1478. ad editionem pertinere. De auctore huius Chronici Werneri Rolevinch, v. T. I. col. 661.

Ferebrich (*Richardi*), *Consequentiae*, cum *Expositionibus* Caietani de Thienis, Venetiis 1493. Exstant impressae cum *Consequentiis* Rodulphi Strodi, v. *Strodi*.

Richardus Ferebrich, sive Ferebrigus Philosophus Oxoniensis in logicis subtilitatibus versatissimus, scripsit circa annum 1360. V. Fabric. *Bibl. med. & infim. latinit.*

Formvlarivm *Instrumentorum*, & aliorum chirographorum, Curialibus; Professoribus Universitatum, Secretariis plurimisque tum ecclesiasticis, tum laicis personis accomodatum, Romae 1474. in fol. parvo. Pro chartariae officinae tessera libra in aliquot plagulis huius operis luci admotis vidi. Rotundus est character paullo inaequalis & cum littera iota puncto plerumque carente, lineasque adimplet 39. in paginis integris. Margines nullo insculpto signo praeditae sunt; foliis 246. absolvitur opus si numerationi mss. nostri exempli fides habenda, hisque addere debemus 12. priora ad tabulam alphabeticam pertinentia quae statim incipit ab hoc titulo, *Tabula huius libri est ut sequitur*. Nulla inscriptio praecedit operi quod a formula priori incipit cui titulus, *No=a Absolutioñ rigore commissioñ aplᵒice ab excomūicacioñ lata ob non solutioñ pecūiaꝝ* (sic) *simplᵒr uel ad cautelam*. Ad calcem operis haec impressori adnotare placuit, *Opus hoc magno granissimoq; labore congestum. summi Opificis gratia. pro utilitate et commodo illorum qui non solum Notariatus artem scire laborant sed etiā qui principum maiorūq; uestigia indagari conantur. Laudesq; gloriam et honores inde cupiunt suscipere. ad finem redactum est. ob institutionem eoꝝ qui impensas studiumq; imposuere Impressorib; et Magistris Iohanni Nicolai Hanheymer de Oppenheym et Iohanni Schurener de Bopardia. Multa adyci possunt pro arbitrio. Immensum quippe que ad officium hmōi pertinent breui uolumine perstringere. Studens igitur offitiosus animum mentēq; adhibeat: Rome. XXV. Nouembris Anno salutis. M.CCCC.LXXIIII. Sedente clementissimo Sixto Papa Quarto Anno eius felici Quarto*. Post aliquot linearum spatium vacuum legitur, *Memento mori* quibus verbis tres calvariae subduntur. Pagina adcedit vacua, exinde registrum occurrit, tandem pagina characteribus pariter destituta. Pancirolus & Fabricius huius *operis* auctorem Wernerium faciunt ut notat Audiffredus pag. 167.

Fosanbrvno (*Angeli de*), *Tractatus de velocitate motus*, absque ulla nota in fol. min. Lineae 52. gothici typi cohaerentes columnam singulam, ex duabus quae paginae imprimuntur, absolutam formant. Nulla excuditur in marginibus nota praeter signaturas A—D cum num. rom. min. Initiales spatiis quadratis dumtaxat typographus indicavit. Opus immediate incipit nullo praeeunte titulo a verbis, (i)n omnj *predicamento* &c. In fine notatur, *Finis secundi tractatᵒ de uellocitate* (sic) *motus augmentationis sm angelum de fosanbruno. &c.* Denis in

in *Supplem.* pag. 566. huius opusculi Angeli de Fosanbruno seu de Foro Semptonii, ut observat, nostrae editionis meminit, cui vero sit tribuenda ex typographicis saeculi XV. officinis nullatenus indicat. Mihi videtur ab Hieronymo de Durantis Papiensi typographo, qui anno 1483. edidit *Expositionem Regularum* Guillelmi Hentisberi descriptam in T. II. col. 662., opus fuisse excusum ex characterum utriusque voluminis similitudine quam conlatione facta deprehendi.

FRANCI (*Martini*), *Champion des dames*, gallicis carminibus express., sine typographicis notis in fol. parvo cum figuris xylographicis. Paginae bipartitae huius voluminis nullum custodem aut fol. numerum praeseferunt, signaturis vero instructae sunt a—z, A, cum rom. num. min. Lineis 36. gothici conspicui characteris implentur columnae paginarum; initiales pictae vacuis spatiis insertae miniculatoris opera visuntur; tauri caput obsignat papyrum; cuivis capiti titulus prosaicus ligneae tabellae praefixus legitur. Princeps pagina voluminis titulum operis refert hoc pacto expressum,

LE champion des
dames

Prior huiusmodi tituli littera missalis xylographica duplici humano vultu ornata adparet. Folio 2. recto occurrit lignea tabula quae auctorem flexis genibus opus suum Philippo Burgundiae Duci solio insidenti porrigentem repraesentat. Huic subditur nuncupatoria epistola vel praefatio quae inscriptionem hanc in fronte gerit, *a Trespuissant et tresexcellent prince Philippe duc de bourgongne de lohier de brabã et de lembourg: Cõte de flandres: dartoys de bourgongne: Palatin de henault de holande de zelãde et de namur: Seigneur de frize de salins et de malines: Martin frãc ĩdigne secretaire de nostre tressaĩct pere le pape Felix cĩquieme: apres tres humble recommandacion*. Desinit praefatio 4. fol. recto linea 18. prioris columnae eidemque verso tabula xylographica imprimitur quae obsidionem oppidi Amoris repraesentat hac enim incipit poema fol. 5. recto ut ex titulo hoc dignoscitur eidem praefixo, *Cy commence le champion des dames. Et premier cõment malebouche auec son armee assaissist le chasteaulx damours*. Inter cetera observatione digna quae in hoc opere leguntur, fol. postremo verso fasciculi s & primo recto fasciculi t Ioannis Papae foeminae locum obtinet notissima fabula, heros enim foeminarum ab adversarii imputationibus illam vindicat & aliquot Romanis Pontificibus, quos damnans memorat, ac praecipue illi qui tunc temporis Petri Cathedram tenebat, scilicet Eugenio IV. Basileensi Concilio adversanti, praefert; nec mirari subit, quum Martinus Francus Felicis V. a secretis Basileensis Concilii partes sequeretur. Desinit opus in ultima pagina Voluminis linea 34. secundae columnae, huiusmodi octostieho,

Oultre plus amour me commande
Car ie ne puis sans vous merir
Qua toutes ie'me recommade
Pour bien et honneur acquerir
Siques veulliez moy secourir
Dames et en fais et en dis
Veullies pour martin requerir
Le royauline des paradis.

Burius iunior *Bibliographie instructive Belles-Lettres* T. I. pag. 470. 472 huius poematis necnon illius *de Rosa* inscripti & a Guillelmo Lorrisio & Ioanne Meungio compositi meminit; Martinus enim Francus illud confutandi gratia opus suum edidit. In *Catal.* Biblioth. Ducis de la Valliere T. II. pag. 268. exemplum huius editionis nostrae describitur, necnon alterum Parisiis impressum ann. 1530. cum titulo, *Le Champion des Dames. contenant la defense des Dames contre Malbouche & ses Consorts, & victoire d'icelles Par Martin Franc.*

GAL

GALEACII *Comitis*, v. *Sforțiae*.

GALENI (*Claudii*), *De philosopho historia*, graece, Venetiis 1497. Exstat in Vol. III. *Operum* Aristotelis superius descripto, v. *Aristotelis*. De hoc opere conf. Fabricii *Bibl. graec.* Lib. IV. pag. 361. 557.

—— Eiusdem, *Commentarium* in *Aphorismos* Hippocratis, latine, Venetiis 1498. Exstat cum Hippocratis textu & *expositione* Hugonis Senensis, v. *Hippocratis*.

GALLIORVM, *Epistola* ad M. Brutum ex latina Rinucii Thettali versione, Florentiae 1487. Exstat cum Bruti *epistolis* v. Bruti & conf. T. II. huius *Catalogi* col. 904.

GEMINIANO (*Dominici de S.*), *Summulae*, *&* *divisiones* in Lib. VI. *Decretalium* Bonifacii VIII., Venetiis 1491. Exstant cum textu, v. *Bonifacii*.

Dominicus Mainardus Geminianensis, iuris canonici lauream ab Antonio de Butrio in Bononiensi Gymnasio obtinuit anno 1411. ibidemque professor constitutus, collegam habuit Petrum de Ancharano. Vicarii Generalis Episcopi Mutinensis & Archiepiscopi Bononiensis munere non sine laude functus, in Atheneaeo Senensi, Florentino, & Patavino publice docuit & Romanis Pontificibus aliisque viris principibus acceptus, honoribusque cumulatus sub Martino V. ex hac vita migravit. V. Coppium *Uomini illustri di S. Gimignano* pag. 95. 96.

GERMANICI (*Caesaris*), *Versio latina* fragmenti *Phoenomenon* Arati, Venetiis 1488. v. *Arati*.

GERSONIS (*Ioannis*), *Opusculum super Cantica Canticorum ad Cartusienses*, Norimbergae (1470.) in fol. min. Editionis huius auctor chartam albam, politam & firmam, & characterem gothicum conspicuum pinguis moduli elegit. Paginas instruxit lineis 37., nec eas ullo signo marginibus insculpto praeditas voluit; initialium sedes spatiis indicavit quibus illas miniculator inseruit. Foliis absolvitur 39. impressis obsignatisque bovino capite, e quo linea procedit coronam pertransiens & in rosam desinens. Titulus in priori pagina operi praefixus haec refert .:. *De. Spiritualibꝫ. Nupcijs* .:. *Incipit opusculũ Magristri* (sic) *Iohãnis de gersona Cãcellarij parisieñ. supꝰ Cãtica cãticorũ ad carthusieñ. scdꝰm triplicẽ amorẽ distinctũ pꝰ decẽ simpsalmata scdꝰm pꝰticões atq; ꝯsideracões earũdẽ scdꝰm nouũ modũ Et opꝰ istud multũ subtile & altum valẽs pꝰ deuotis ꝯtẽplatiuis. Et pꝰmittitꝰ pꝰmo pꝰhemium*. In fine .:. DEO. GRACIAS .:. primo legitur ac deinceps, *Super sapientis hebrei cantica Iohannis de Gersona. Excellentissimi parisiensis Cançellarij scriptum quidem haud futile finit feliciter. Nurenberge. Anno &c. Septuagesimo.* (sic) *Impressorie artis industria effigiatum.* Opus hoc ab Henrico Rumel & sociis impressum videtur, eodem namque typo exprimitur quo Isidori opusculum sub titulo *Soliloquiorum*, quod a Cl. Denisio in *Supplem.* pag. 594. adscribitur illi typographo & circa ann. 1470. iudicatur, quod cum chronologica expressa nota opusculi nostri optime consonat.

GVARINI *Veronensis*, *Vitae* Alexandri, Aristotelis, Bruti, Coriolani, Crassi, Dionis, Evagorae, Eumenis, Flaminii, Homeri, Lysandri, Marii, Niciae, Philopoemenis, Platonis & Syllae, ex graeco Plutarchi in latinum traductae, Venetiis 1491. Exstant cum aliis Plutarchi *Vitis*

u variis latine redditis, v. *Plutarchi* & conf. T. I. col. 756.

Gvigonis *Cartusiani*, *De laude solitariae vitae*, Parisiis sine typographicis notis. Exstat cum Basilii opusculo de eadem re & aliis variorum auctorum suis locis indicatis, v. *Basilii*.

Guigo de Castro, Valentinensis Dioecesis, Gallus Delphinas, Prior Generalis Cartusiae, obiit anno 1137. & diversus est a Guigone II. Priore pariter Cartusiae generali ut apud Fabricium videre est in *Bibl. med. & infim. latinit.* quem sis consule.

HEN

Hentisberi (*Guillelmi*), *Probationes conclusionum in regulis positarum*, (Papiae) 1483. in fol. min. Convenit haec editio in rebus typographicis cum illa *Sophismatum* Pauli Veneti descripta in T. II. col. 772. exceptis signaturis a—c. Titulus praefigitur operi, *Preclarissimi uiri ac subtilissimi sophiste Gulielmi hesberi* (sic) *p⁹bationes p⁹fūdissime ɔcl⁹onū ī regulis positaꝝ*. In fine legitur, *Explete & complete fuerunt predicte ɔclusiones ɔpilate per reuerendum doctorem Magistrū Gulielmū de bentisberi bone & utiles. Impresse cura & diligentia Magistri Nicolai degirardengis. M.cccc°lxxxiij. die. xxiiij. iauuarii*. Folium vacuum superest.

Hermetis *Trismegisti*, v. *Trismegisti*.

Herodoti, *Historiarum* Libri, a Laurentio Valla e graeco latine traducti, Venetiis 1474. Tum ex hac quam ceteris eiusdem typographi impressionibus luculenter adparet artem optime calluisse & elegantiorem secutum esse librorum cudendorum rationem. Paginarum apta dispositio lineas 35. rotundi characteris elegantis moduli oculis offert. Margines a quocumque signo liberae visuntur; initiales principes, una excepta parvo typo expressa, spatio indicantur, reliquae ut plurimum parvo typo suppletae fuerunt; primam tantum minicularius auro coloribusque insignem adiecit. Charta obsignatur libra & soliditate albedineque commendatur. Praecedit *epistola* nuncupatoria qua *Integerrimo Atq; Optimo Patricio Nicolao Donato Benedictus Brognolus Salutem Plurimam dicit*. Desinit fol. 4. recto linea 16. eidemque verso nil imprimitur. Opus sive *Herodoti Halicarnasei Historiarum Liber Primus* inchoat fol. 5. recto. In fine notantur haec, *Herodoti Halicarnassei patris historiæ traductio e græco in latinū habita p⁹ uiꝝ eruditissimū Laurētiū Valēsē sīgularem nostris tēporibus ciuē rōanū sub Nicolao. V. sūmo pōtifice. Venetiis īpressum ē hoc opus p⁹ Iacobū Rubeū natione Gallicū. Anno dnī. M. cccc. lxxiiii. Nicolao Marcello duce Ven.* Foliis constat impressis 259.

Hieronymi (*S.*), *Prologi in Biblia*, Norimbergae 1475. Exstant cum *Bibliis*, v. *Biblia*.

—— Alia editio, Venetiis 1476. v. *Biblia*.

—— Alia editio, germanice, Augustae Vindelicorum 1477. v. *Biblia*.

—— Item iidem in *Evangelia*, sine notis typographicis. Exstant cum textu *Evangeliorum*, v. *Biblia*.

—— Alia editio eorumdem, Venetiis 1482. v. *Biblia*.

—— Alia editio, Venetiis 1493. v. *Biblia*.

Hippocratis, *Epistolae*, cum illis Artaxersis, Paeti, Hystanis & Democriti insertis, Rinucio Thettalo interprete,

Florentiae 1485. Exstant cum illis Diogenis & M. Bruti, v. *Diogenis*.

—— Eiusdem, *Aphorismi*, latine, cum *Commentario* Galeni latine pariter & *Expositione* Hugonis Senensis, Venetiis 1498. in fol. min. divisis columnis cum textu sectionibus *Commentarii* & *expositionis* inserto. Lineae 66. cohaerentes litterarum gothici moduli columnas singulas absolutas formant. Nulla excuditur in marginibus inferioribus custodum nota, signaturae tamen illis insunt A—V cum num. arabicis. Margines superiores inscriptionibus sunt praeditae & foliorum numeratione 2—159. quae ultimam non respicit plagulam. Initiales formis ligneis quadratis florentibus exprimuntur, charta signatur galeri symbolo. Haec maiusculis typis descripta fuere in principe voluminis pagina, *Expositio Vgonis Senensis super aphorismos Hypocratis & super cōmentum Galieni eius interpretis*. Opus inchoat fol. 2. recto a praefatione quae verbis subditur huiusmodi, *Incipit expositio clarissimi Doctoris Vgonis Senensis super aphorismos Hypocratis & super commenta Galieni eius Interpretis*. Praefatio incipit hoc pacto, *Precedentis anni lucubrationum munus quamvis parvum tuo nomini Nicholae Estensis Illustris Marchio Ferrarie dedi* &c. Ad calcem post tabulam *Finis* legitur ac deinceps, *Venetijs impressum mādato & sumptibus Nobilis viri domini Octauiani Scoti Ciuis Modoetiensis. Decĩo kalendas Iunias*. 1498. *per Bonetum Locatellum Bergomensem*. Registrum & signum Octaviani in priori facie ultimi folii exstant.

Hispalensis (*Ioannis*), Versio latina ex arabico Messahallach *de receptionibus Planetarum* &c. Venetiis 1493. v. *Messahallach*.

Hispani (*Petri*), *Summulae Logicae* cum *expositione* Nicolai de Orbellis; adcedunt *Passus* Francisci de Mayronis *super universalia praedicamenta* Aristotelis, *Quaestiones de tribus principiis rerum naturalium* Antonii Andreae, Boneti *Formalitates secundum viam Scoti*, Antonii Sirecti *Formalitates moderniores*, S. Thomae *Fallaciae* & *tractatus de ente & essentia*, Venetiis 1489. in fol. min. divisis columnis cum textu Hispani typo maiusculo expresso & inserto *expositionis* sectionibus. Nullam initialem nnciali typo impressor notavit, sed earum pingendarum caussa spatia quadrata sectionibus praefixit iisque parvam litteram inseruit. Gothicus character dispescitur in lineas 66. pro quavis integra columna. Signaturae constant elementorum serie a — s arabicisque numeris; custodes foliis versis fasciculorum suturae praecedentibus, & ultimis paginis eorumdem impressi occurrunt, nonnunquam vero illos adponere typographus neglexit. In superioribus marginibus inscriptiones exstant ab initio voluminis ad fasciculum p. inclusive; pro chartae signo galerus visitur. Folium princeps vacat, secundo recto *Prologus* adest qui inscriptioni subiacet, *Excellentissimi viri artium ac sacre theologie professoris eximij magistri Nicolai de orbellis de francia ordinis minoꝝ sɋm doctrinā doctoris subtilis Scoti: logice breuis: sed admodum utilis super textu magistri Petri hispani expositio incipit*. Integro opere absoluto excusoris industria haec notata occurrunt, *In hoc volumine habes summulam Nicolai de orbellis vna cum textu Petri hispani: deinde passus frācisci mayronis: & tria principia Antonij andree & formalitates Boneti & Scoti: necnon fallacias sancti Thome ac tractatum de ente & essentia. & impressum Venetijs per Bernardinum de choris de Cremona & Simonē de Luero. Die 7° mensis nouēbris*. 1489. Adcedit signaturarum series vel registrum, quod unicuique litterae respondentem numerum ostendit iuxta foliorum quantitatem cuiusvis scapi. Folium postremum cum primo Voluminis convenit.

Hugonis *de Novo Castro*, *Tractatus de victoria Christi*, adcedit *Coniectura de ulti-*

ultimis diebus Mundi Nicolai de Cusa, 1471. sine loci & typographi indiciis in fol. parvo. Editioni huic nitori certatim quodammodo concurrunt munda & firma papyrus & characteres semigothici moduli sed elegantis, qui ut satis latum marginibus spatium relinquatur non amplius quam lineas 42. complectuntur. Marginalia signa nulla adparent, nec aderant initiales litterae priusquam illuminator adpinxisset. Foliis 40. opus utrumque absolvitur, duas enim tantum plagulas secundum occupat; chartarius usus est pro officinae tessera figura capitis bubuli cum corona, e quo linea in rosam desinens procedit. Titulus iste in priori pagina Hugonis operi adfixus legitur, *Incipit tractatus de victoria cristi contra antixp9m. magistri hugonis de nouo castro sacre theologie & decretorum doctoris parisieñ. sequitur prologus huius libri quem ponit in principio.* In fine tractatus legitur, *Explicit tractatus de victoria xp9i contra antixp9m edit9 per Reuerendum magistrū hugonem de nouo castro sacre theologie. ac decretoR doctorem parisieñ. Anno M.CCCC.LXXJ.* Post vacuam paginam *Incipit coniectura reuerēdissimi in xp9o pr9is ac domī nicolai de cusa Cardinalis tituli sancti petri ad vincula & episcopi prixiens; necnon doctoris eximij atq; illuminatissimi de vltimis diebus mundi.* In fine legitur, *Explicit ɔiectura domini nicolai de cusa Cardinalis de vltīs dieb9.* Maittairius T. I. pag. 310. qui ex Loeschero huius editionis notitiam hausit Parisiensem dicit. Mansius in *Supplem.* ad Fabric. *Bibl. med. & infim. latin.* exemplum memorat a se visum in Biblioth. Coenobii S. Mariae Scotorum Viennae quod sine loco impressionis esse recte adfirmat; neuter vero auctor meminit opusculi Cusani eidem pro coronide adiuncti.

Hugo de Novo Castro, seu de Castro Novo in Anglia Dunelmensis Dioecesis, Minorita, Ioannis Scoti doctoris subtilis defensor, floruit intra annos 1310. 1322. Haec Fabricius in *Bibl. med. & infim. latin.* ex Baleo Waddingo, & Pitseo; Mansius in *Supplem.* ex editionis nostrae titulo Parisiensem non Anglum Hugonem fuisse arbitratur, sed doctoris Parisiensis adpellatio Anglicae origini minime adversatur, quum vir genere Anglus in Parisiensi Gymnasio laurea donari & iure Parisiensis doctor nuncupari possit.

Hugonis *de S. Charo*, *Postilla super quatuor Evangelia*, sine notis typographicis. Cum textu *Evangeliorum* exprimitur, v. *Biblia*.

Hystanis, *Epistola* ad Hyppocratem, latine, ex versione Rinucii Thettali, Florentiae 1487. Exstat cum *epistolis* Hippocratis, v. *Hippocratis*.

IOA

Ioannis *Episcopi Eystettensis*, *Statuta Synodalia*, sine certis typographicis notis. Exstant in Volum. *Statutorum* Ecclesiarum Eystettensis & Moguntinae, v. *Eystettensis*.

Ioannis *PP. XXII.*, *Constitutio Execrabilis*, 1476. sine loci notitia. Exstat cum *Regulis Cancellariae* Pauli II. & Sixti IV. v. *Pauli*.

Ioannes XXII. antea Iacobus Episcopus Portuensis, Lugduni ad Romanae Sedis fastigium electus est anno 1316. decessit anno 1334.

Isidori (*S.*), *Soliloquia*, vel *Sinonyma*, sine notis typographicis in fol. min. Convenit

venit haec editio cum *opuſculo* Ioannis Gerſonis *ſuper Cantica Canticorum ad Cartuſienſes* ſuperius deſcripto, ſed plagulis abſolvitur 18. In fronte primae paginae legitur huiusmodi titulus prologo adſcriptus, *Incipit prologus Iſidori epiſcopi in ſoliloquia eiusdem*. Deſinit opuſculum linea 28. poſtremae paginae quae huiusmodi eſt, *tes ipſius gracia ac debita veneracōne diligitis*.. Poſt unius lineae intervallum legitur, *Sancti iſidori Iſpalenſis archiep^9i ſinonima expliciūt*. Circa tempus locumque impreſſionis & typographum, v. quae Gerſonis art. diximus occaſione opuſculi illius auctoris quod in rebus typographicis cum iſto omnino convenit ut dictum eſt.

Ivstiniani (*Leonardi*), *Vitae* Cimonis & Luculli, ex Plutarchi graeco idiomate in latinum traductae, Venetiis 1491. Exſtant impreſſae cum aliis Plutarchi *Vitis* ex interpretatione variorum, v. *Plutarchi*.

Ivvenalis (*D. Iunii*), *Satyrae*, ſine typographicis notis in 8. In codice iſto imprimendo typotheta haec praeſtitit. Chartam denſam elegit quae baliſtae figura obſignatur; characteribus uſus eſt minutis & mediis inter romanam & gothicam formam hisque lineas 25. in paginis implevit quae cum ſpatiis interlinearibus ſatis conſpicuis altitudinem paginae formant pollic. Paris. IV. lin. 9., latitudinem vero pollic. II. lin. 9. Ultima pag. 26. lineis conſtat. Interpunctionis ſigna ſunt interrogationis nota quae cifram 5. cum punto ſubſcripto quodammodo repraeſentat, colon & punctum; littera iota nonnunquam puncto caret. Foliis abſolvitur opus 78. quorum poſtremum vacuum, nec ullum ſignum marginale vel titulum *Satyris* praefixum oſtendit, ſpatium enim tantum unius lineae & pingendae initialis locum unam ab altera diſtinguunt; graeci inſuper characteres deſiderantur ſpatiis eorum gratia relictis. Prima pagina lineis conſtat 24. & ab hac exordium ſumit princeps *Satyra* nulla praecedente inſcriptione, cuius tres priores verſus ob initialis adpingendae quadratum ſpatium more proſaico ita exprimuntur,

> *Emper ego auditor tantum:*
> *nunq; ne reponā. Vexatus*
> *totiens rauci theſeidē codri?*
> *Impune ergo mihi recitauerit*
> *ille togatas. Hic elegos: im-*
> *pune diem conſūpſerit ingens*

Ad calcem nil excuſum legitur, typographus enim, praeter textum Iuvenalis nullum verbum addidit, ne excepto quidem auctoris nomine. Editio haec eximiae profecto raritatis cum illis contuli Vdalrici Han, nimirum Ciceronis *de Oratore* anni 1468., eiusdem *de Senectute* &c., & *Tuſculanarum Quaeſtionum* anni 1469. quas in T. I. deſcripſimus, tantamque characterum ſimilitudinem deprehendi, ut vix dubitarim ad Typographum Vdalricum editionem noſtram pertinere, & Ciceronianis operibus aliquatenus praeceſſiſſe, quum id perſuadere quodammodo videatur maior ſimplicitas oeconomiae typographicae. Exemplum huius editionis, ut a Bibliographo celeberrimo nuper accepi, Neapoli exſtat in Bibliotheca Ducis de Caſſano, aureis initialibus inſigne, quod Neapolitanarum editionum inſignis collectionis locupletandae cauſſa adquiſitum fuit, non enim defuere qui exemplum illud haud perfunctorie inſpicientes, Sixto Rieſſingero adſcribendam editionem arbitrati ſunt, quorum opinioni nec ſubſcribere nec omnino refragari audeo abſque diligenti conlatione cum editione aliqua certa Rieſſingeri, ex qua characteris identitas mihi liquido conſtare poſſit. Certum eſt a nemine Bibliographorum quos conſului deſcriptam fuiſſe, ac vix reperiendam eſſe editionem fuci typographici magis expertem, quaeque cunabula artis amplius redoleat, adeo ut abſurdum minime videatur principem locum ſibi vindicare poſſe & annis 1468. 1469. haud recentiorem praedicari.

LAC

Lactantii (*L. C.*), *Firmiani*, *Opera*, Romae 1468. in fol. Charta huius voluminis plurimum candet & soliditate ac levigata superficie commendatur. Characteres eidem insculpti rotundi sunt elegantissimi moduli iuxta editionis huius typographorum morem & in paginis plenis 38. lineas occupant. Signaturis, custodibus & numeratione margines carent omnino; initiales caeruleas vacuis spatiis illuminator inseruit & quasdam principes deauravit floribusque insigniores reddidit; graecae dictiones propriis characteribus impressores excudere, titulosque cuivis capiti adponere curarunt, primo excepto; margines latae editionis pulchritudini lenocinantur. Foliis constat opus integrum 220. sed primum & postremum characteribus destituuntur. Secundo recto *Lactantii Firmiani de diuinis institutõibus aduersus gentes rubrice primi libri incipiũt*, quae cum critice Raudensis & epigrammate Adami Genuensis quo Raudensem increpat 11. plagulas complectuntur. Opus incipit 13. fol. recto nullis praecedentibus verbis. Ad calcem operis *de Opificio Dei* occurrit *Phoenix* quam alia excipiunt, ut in edit. anni 1470. T II. col. 43. descripta, quibus tristichon subditur,

Hoc Conradus opus Suueynheym ordine miro
Arnoldusq; simul pannarts una ede colendi
Gente theotonica : rome expediere sodales.

Post lineae unius spatium additur, *In domo Petri de Maximo. M.CCCC.LXVIII.* De egregia hac non obvia sed nec rarissimis adcensenda editione, v. Cl. Audiffredum pag. 10.

Ladislai *Regis Hungariae*, *Oratio ad Nicolaum V.*, Romae 1475. Exstat cum *Margarita poetica* Alberti de Eyb, v. *Eyb*.

Ladislaus V. vel VI. posthumus nuncupatus, Alberti Regis Hungariae filius, quarto aetatis suae mense anno 1440. Elisabeth matre curante Regiam coronam accepit; quum iam Ladislao Poloniae Regi ab Hungaris, de futura prole Elisabeth incertis, iam oblata esset, quod dissidiorum semen inter utrumque fuit. Defuncto Rege Poloniae, Budam ingressus est Ladislaus anno 13. aetatis suae vixitque usque ad ann. 1457. v. *Art de verifier les dates*.

Laeti (*Pomponii*), *Grammaticae Compendium*, Venetiis 1484. in 4. min. Libellus hic fol. numeratione & custodibus prorsus caret, minime vero signaturis quae insculptae reperiuntur formis litterarum alphabetico ordine digestarum a — e & num. rom. min. Characteres rotundi sunt & in paginis plenioribus 28. lineas occupant; obsignatur charta bubulo capite, e quo linea in rosam desinens procedit. Exemplum nostrum duobus principibus foliis orbatur proindeque excidit Laeti praefatio ad Ranalium Canonicum Pataviensem cum hexastico, ut ex Denisii *Supplem.* pag. 186. N. 1414. adparet. Incipit igitur absolute a capite de declinationibvs. Ad calcem hoc legitur tetrastichon,

Iamque petit finem pueris sacer iste libellus.
Cum sit pro pueris tam breuis esse cupit.
Vna manus capiet totum puerilis: babebit
Ipse tener nullum pergraue pondus hylas

Sequitur conclusio & excusatio ad laudatum Ranalium quae desinit linea 3. penultimae paginae cui subditur finis, ac deinceps typographica nota huiusmodi,

modi, *Venetiis Per Baptistam de Tortis. M. CCCC. lxxxiiii. die ultimo Martii*. Pagina sequens nullo inficitur charactere.

—— Eiusdem, *Commentaria* in Virgilii *Culicem*, *Diras*, *Copam*, *Bucolica* & *Georgica*, Brixiae 1487. in fol. min. Paginas instructas lineis 40. rotundorum typorum prelo calcandas subiecit excusor, qui praeter signaturas A — L nullum adposuit signum foliorum ordinem indicans, initialesque parvis supplevit elementis; caput bovinum diversimode expressum signat papyrum. Priori pagina statim incipit POMPONII GRAMMATICI ERVDITISSIMI IN CVLICEM COMMENTARIVM. Ad calcem Voluminis legitur, *Impressum Brixie per Boninū de boninis de Ragusia* (sic). *M.cccc.lxxx.vii. die. xviii. mensis Februarii. Finis*. Haec editio unicum censetur volumen cum sequenti describendo a Cl. Denis in *Supplem.* pag. 234., quod unica compactura ligatum, secundo principem locum obtinente, unam typographicam subscriptionem ad calcem totius volum. absque scrupolosiori foliorum evolutione exhibeat. Ex diversa itaque subscriptione separatum volumen utrumque adparet, sed ipsius typographi cura in unum ambo coaluisse nemo inficias ierit.

—— Eiusdem, *Interpretatio* sive *Commentarium* in Virgilii *Aeneida*, Brixiae (1490.) in fol. min. Quod spectat ad typographicam oeconomiam cum praecedenti vol. hoc convenit omnino, exceptis signaturis a — o. Folio primo verso editoris *epistola* incipit quae huiusmodi inscriptioni subditur, DANIEL GAITANVS PETRO MANNAE INSIGNI GRAMMATICES ET RHETORICES PROPAGATORI. S. In hac *epistola* de integro in Virgilium *Commentario* Pomponii Sabini, hoc enim nomine praeter alia auctor usus est, loqui videtur Daniel, qui claudit *epistolam* his verbis, *Vale presidium meum. M.cccc.lxxxvi. Data ex urbe Cremona pridie calendas Ianuarias*. Quum Maittairius T. I. pag. 479. Basileensem editionem anni 1486. referat, suspicor epistolam hanc ad illam primo pertinere ex eaque in Brixianam nostram profectam, proindeque Gaitanum ex Cremona opus Basileensibus impressoribus imprimendum transmisisse. Brixianus itaque impressor primo *Commentaria* in *Culicem* &c. descripta denuo imprimere adgressus est, sed quum postea reliqua etiam in Virgilii *Commentaria* imprimere decrevisset, ut integrum opus Pomponii a se excusum Litterariae Reipublicae suppeditaret, priori volumini iam edito, hoc secundo loco impressum, sed ordine primum, praecedere voluit addiditque, ut omnibus exacte pensiculatis cuilibet persuasum erit. Folio igitur 3. recto, incipit POMPONII DOCTISSIMI VIRI INTERPRETATIO IN AENEIDE VIRGILII. Typographica nota ad calcem haec refert, *In pressum* (sic) *Brixie per Boninus* (sic) *de Bouinis* (sic) *de Ragusia Anno. x. M.cccc.xlxxx.* (sic pro M.cccc.lxxxx. ut videtur) *die v. mensis Februarii*. Folium vacuum superest.

—— Eiusdem, *Historiae Romanae Compendium*, Venetiis 1500. in 4. min. Alphabetica series litterarum A — P pro signaturis adhibita fuit a typographo hasque comitantur num. rom. min. Custodes & numeratio plagularum desunt prorsus in marginibus huius libelli, superioribus attamen inscriptiones uncialibus typis cusae libros indicantes inhaerent; initiales principes litterae formis ligneis caelatis florentibus exprimuntur. Character rotundus elegans lineas 28. in paginis implet; charta signatur librae tessera. In principe libelli pagina verba haec impressa exstant,

ROMANAE HISTORIAE COM-
PENDIVM AB INTERITV
GORDIANI IVNIORIS
VSQVE AD IVSTI-
NVM. III.
PER
POMPONIVM LAETVM

CVM PRIVILEGIO.

Folio

Folio 2. recto PRAEFATIO incipit quam inscribit FRANCISCO BORGIAE EPISCOPO TEANEN. ET PONTIFICALIS AERARII PRAEFECTO POMPONIVS LAETVS. Incipit Liber primus fol. 3. recto cui titulus praecedit iisdem constans verbis, quibus ille paginae prioris adlatus, ultima linea dempta pro qua nomina occurrunt, BALBINVS. PVPIENVS GORDIANVS, cuivis enim sectioni Imperatorum nomina quadratis litteris expressa, quemadmodum inscriptiones aliquot in textu, occurrunt. Ad calcem *historiae* FINIS legitur, deinde sequitur POMPONII VITA cuius auctor ex nuncupatoria hac epigraphe innotescit, M. ANTONIVS SABELLICVS. M. ANTONIO MAVROCENO EQVITI SALVTEM. Folia tria & paginae fere dimidium *Vita* occupat cui FINIS subscribitur, exindeque, *Impressum Venetiis per Bernardinum Venetum de Vitalibus Anno dñi. M.ccccc. Die. xii. Decēb.* Signum typographi adcedit cum litteris . B. . V. quod refert Orlandius N. 16. sed pro rhombis quatuor puncta occurrunt. Zenus in *Dissert. Voss.* T. II. pag. 240. duplicem editionem huius typographi recenset quarum prior anni 1498.

LAMOLAE (*Ioannis*), *Oratio de omnium artium & scientiarum laudibus*, Romae 1475. Exstat cum Alberti de Eyb *Margarita poetica*, v. *Eyb*.

Ioannes Lamola Bononiensis Grammaticus, Orator & Philologus post ann. 1400. lucem adspexit, & sub Guarino Veronensi graecae linguae operam dedit. Antonii Beccadelli Panormitae amicitia iunctus cum illo Bononiam primum ac postmodum Florentiam pergens, in hac Urbe Pallantis Strozzae filiis erudiendis praeficitur, ibique Ambrosium Camaldulensem, Nicolaum Nicolium, Poggium aliosque Litteratos viros coluit, Cl. Elephantutius qui de hoc viro eruditione & doctorum virorum familiaritate aevo suo celeberrimo, plura litteris consignavit, nullam huius *Orationis*, nec *Rudimentorum grammatices* saeculo XV. excusorum, de quibus Denis in *Supplem.* pag. 600., mentionem facit.

LANGE (*Godfridi*), *Oratio Scholastica in commendatione Hertuidi de Lapide Vniversitatis* (N.) *Rectore*, Romae 1475. Exstat cum *Margarita poetica* Alberti de Eyb, v. *Eyb*.

LAPI *Florentini*, Versio latina ex graeco Plutarchi idiomate *Vitarum* Arati, Artaxersis, Camilli, Catonis iunioris, Lycurgi, Numae Pompilii, Periclis, Phocionis, Publicolae, Romuli, Solonis, Themistoclis, & Thesei, Venetiis 1491. Extant cum aliis Plutarchi *Vitis*, ex diversorum interpretatione, v. Plutarchi, & conf. T. I. col. 55. 56.

LAVDE (*Oldradi de*), *Consilia*, Romae 1472. in fol. mai. Amplis satis marginibus editionis huius exactor paginas bipartitas circumsepsit sed impressis notis margines easdem omnino destitutas reliquit. Character quo excudit opus rotundus est paullo inaequalis, & littera iod puncto destituitur. Columnae singulae integrae conflantur lineis 50. Cuivis *consilio* titulus & numerus adponitur, & priores lineae eorumdem *consiliorum* quadratis plerumque litteris exprimuntur. Initiales, quum deessent impressae, quadratis spatiis iisdem adsignatis a typographo, pictas miniculator inseruit, principemque auro insignem reddidit; charta densa & alba incudis figura circulo septa ut plurimum notatur. In prima pagina ex 127. quibus exemplar constat tabula quaestionum exordium sumit praecedente titulo, (i) NCIPIT HIC TABVLA QVETIONVM. (sic) Sex folia tabula occupat non tamen integra quum postremo 22. tantum lineae impressae sint. Folio septimo recto primum incipit *Consilium* absque ullo titulo his verbis, (i) N NOMINE *Domini Amen. In causa Eboraceu. attendendū est q⁹ cū multi et uarii p⁹cessus facti fuerint* &c. Ultimo notitia haec typographica subiacet, *Finis consilioꝝ eximii utrinsq; iuris professoris Oldradi de Laude Rome impressorum p⁹ magistrū Adam Rot Meten. diocesis Anno salutis*

lutis M. cccc. lxxii. Sub Sixto. iiii. Pontifice maximo. Plagula integra superest vacua, v. Audiffredum pag. 102.

Oldradus de Ponte, ex Laude Pompeia Dini iurisconsulti celeberrimi, de quo superius egimus, discipulus, primum Boponiae deinde Patavii anno 1310. summa cum laude professus, pater legum adpellatus est. Romam postea conductus ut publice doceret *Commentaria* in ius civile edidit, & Advocatus Concistorialis electus, causas tutatus est & *responsa* praeclara in vulgus emisit. Decessit Avenione anno 1335. ibique tumulatus fuit cum duplici epitaphio ut videre apud Pancirol. *de Claris leg. interpret.* Lib. II. Cap. LII. qui tamen sibi consonus non omnino videtur in iis quae de Oldradi vita & obitu referr.

Lavrentiani (*Laurentii*), Versio latina ex graeco libri Aristotelis *Peribermenias* & in eumdem *Commentarium*, Venetiis 1500. v. *Aristotelis*.

Leoniceni (*Omniboni*), Versio *Opusculorum* S. Athanasii *contra Arianos & Gentiles*, Vicentiae 1482. v. *Athanasii*.

—— Eiusdem, *Commentarium* in *Ciceronis* Libros *de Oratore*, (Norimbergae) 1497. Cum Ciceronis textu excusum habetur, v. *Ciceronis*,

Leonis *PP. I.* (*S.*), *Sermones* & *Epistolae*, Romae 1470. in fol. Haec eadem continet quae editio Romana in T. I. col. 70. descripta sine typographicis notis. Celebres Typographi qui volumen impresserunt eamdem diligentiam in hoc adhibuere quam in ceteris nitidioribus editionibus ipsorum opera adornatis. Character quippe ille est rotundus perelegans plurimis eorumdem typographicis monumentis communis, lineasque 38. implet in unaquaque ex integris paginis. Margines quae latae admodum characteribus supersunt a nullo signo impresso ordinem foliorum scaporumque indicante occupantur. Initiales spatiis addidit minicularius quum nullo pacto a typographis expressae fuerint. Charta firma & alba balista circulo inscripta obsignatur ut ex plurimorum foliorum inspectione deprehendi; foliis calamo numeratis 129. opus constat, & alia 4. praecedentia operi addere debemus, quorum princeps pagina vacat, in secunda exstat *Iohannis Andree. Episcopi Aleriensis. Ad summũ Pontificem. Paulum. ii. Venetum. Epistola* & initium tabulae rubricarum quae absolvuntur quarto recto, nec eidem verso aliquid imprimitur. Plagula quinta, *operum* S. Leonis prima, tres margines in priori pagina maeandrico opere depictas & initialem litteram deauratam cum icone S. Leonis Papae offert. Titulus qui sermonis initio praecedit est huiusmodi,

Beati Leonis pape de assumptiõe sua ad pontificatũ gratiaꝝ actiõis sermo Primus. In fine legitur epigramma Pannartzii & Sweynheymi excusorum nomina referens, quod quum T. I. col. 314. retulerimus ibidem legi potest. Epigrammati additur chronologica nota. M CCCC.LXX. De hac editione v. Audiffredum qui illam describit pag. 57. & conf. pag. 47. ubi anterior illa, quam T. II. col. 70. descripsimus, adseritur.

Lombardi (*Petri*), *Sententiarum* Lib. I. cum *Commentario* Ioannis Scoti, Venetiis 1490. in fol. min. Signaturae constant elementis a — z cum arabicis numeris, sed iis numeris tantum signantur quatuor priores fasciculi, primus scilicet 2 — 4, secundus 5 — 8, tertius 9 — 11, quartus 12 — 14. Custodes desiderantur, adest vero numeratio foliorum 2 — 184. quae quatuor fasciculos indicatos & ultimam plagulam non respicit; initiales parvis formis supplentur & nonnunquam desunt. Character gothicus quadruplex est, *Commentarium* enim minuto exprimitur, postillae marginales grandiusculo, textus *Commentarii* sectionibus insertus illo textus maiori, & priores textus & *Commentarii* lineae necnon superiores marginum inscriptiones quae num. rom. formis maioribus

ex-

expressos referunt, typo omnibus magnitudine praestanti notantur. Lineas 70. minutior character in qualibet ex duabus columnis paginarum replet. Charta polita & alba, nolam & galerum pro signis exhibet. In prima pagina legitur maioribus typis express. *Tabula Scoti*. Folio verso imprimitur prologus in tabulam quae integrum opus quatuor voluminibus distinctum respicit, incipitque ordine alphabetico digesta tertia vol. huius pagina, & quatuor fasciculos a numeratione exulantes complectitur excepta ultima pagina alba. Post tabulam adcedit folium quod in prima facie titulum operis hunc refert, *Primum sententiarum Doctoris subtilis scoti*. In secunda facie characteribus prorsus destituitur, opus enim sequenti incipit pagina praeitque omnibus Petri Lombardi *Prologus*. Ad voluminis calcem registrum occurrit, & ubi opus desinit notatur, *Laus omnipotenti deo*, postmodum vero, *Prim⁹ liber sententiarum Ioannis Scoti ordinis minorum sacretheologie doctoris excellentissimi a Reuerendo sacre theologie professore magistro Gratiano Brixiano eiusdem ordinis in vniuersitate Paduana publice theologiam legente diligenti cura ac sollicitudine emẽdatus feliciter terminatur. Ac Impensa & industria solerti Bernardini de Nouaria Impressus Venetiis anno domini* 1490. *die*. 17 *mensis Iulij*. FINIS. Folium vacuum deinceps occurrit.

—— Eiusdem, *Sententiarum* Lib. II. cum *Commentario* Ioannis Scoti, Venetiis 1490. in fol. min. Cum praecedenti Volumine hoc in typographicis rebus optime convenit, signatur autem litteris aa — rr eiusque foliorum numeratio adparet 2—136.; pro chartae signo libram conspicatus sum. In prima pagina legitur, *Secundus sententiarum doctoris subtilis Scoti*. Opus inchoat fol. 2. recto & registrum ad calcem subscriptionemque huiusmodi refert, *Secundus liber sentẽtiarũ Ioãnis Scoti ordĩs minoꝝ sacre theologie doctoris excellẽtissimi aꝛ̃ndo sacre theologie p⁹fessore magistro Gr⁹ano Brixiano eiusdẽ ordinis ĩ vniuersitate Paduana publice theologiam legente diligẽti cura ac sollicitudine emẽdatus feliciter termĩatur. Ac Expẽsa & industria solerti Bernardini d⁹ Nouaria Imp⁹ssus Venetiis anno dñi* 1490. *die* 3.° *martij*. Vacua superest pagina.

—— Eiusdem, *Sententiarum* Lib. III. cum *Commentario* Ioannis Scoti, Venetiis 1490. in fol. min. Hoc a duobus Voluminibus descriptis non differt quod spectat ad oeconomiam typographicam, sed paginis subscriptas ostendit signaturas A — N, & praefixos numeros 2 — 102. Galerus & libra chartam obsignant ut aliquot folia evolvens detexi. Titulus in priori pagina exstat huiusmodi, *Tertius sententiarum doctoris subtilis Scoti*. Opus 2. fol. recto incipit & ubi desinit registrum & typographicam subscriptionem refert nimirum, *Tertius liber sentẽtiarũ Ioãnis Scoti ordĩs minoꝝ sacre theologie doctoris excellẽtissimi aꝛ̃ndo sacre theologie professore magistro Gr⁹ano Brixiano eiusdem ordinis in vniuersitate Paduana publice theologiam legente diligenti cura ac sollicitudine emendatus feliciter terminatur. Ac expensa & industria solerti Bernardini de Nouaria Impressus Venetijs ãno dñi*. 1490. *die*. 21. *aprilis*. Adcedit vacua pagina.

—— Eiusdem, *Sententiarum* Lib. IV. cum *Commentario* Ioannis Scoti, Venetiis 1490. in fol. min. Cum tribus Volum. descriptis hoc etiam in typographicis rebus convenit, signaturis autem AA—ꝶꝶ, & num. folior. 2 — 208. instruitur; inter alia chartae signa galerum conspiciendum plagulae luci admotae offerunt. In principe Vol. pagina legitur, *Quartus sententiarum doctoris subtilis Scoti*. Fol. 2. recto opus ut in aliis Volum. incipit, & ad calcem registrum necnon verba ista refert, *Quartus liber sententiarum Ioannis Scoti ordinis minorum sacre theologie doctoris excellentissimi a Reuerendo sa-*

sacre theologie professore magistro Gratiano Brixiano eiusdem ordinis in vniuersitate Paduana publice theologiam legente diligenti cura ac sollicitudine emẽdatus feliciter terminatur. Ac Expensa & ĩdustria solertis Bernardini de Nouaria Impressus Venetijs anno domini. 1490. *die 3° mensis Nouẽbris ad honorẽ dei & gl°iose intemerate virginis Marie.* Superest folium charactere nullo praeditum.

—— Alia editio eiusdem Libri IV. cum *Explanatione* Petri de Palude, Venetiis 1493. in fol. min. divisis columnis. Character textus maioris est formae sed tam hic quam ille minor *explanationis*, textus membris alternatim insertae, gothicam formam refert; lineas 66. character minor in columna plena occupat. Sectionum priores dictiones maiusculis litteris expressae sunt, initiales autem florentibus ligneis typis. Haec circa paginarum formas dicenda erant; quod vero spectat ad margines circumpositas, inscriptiones in superioribus oris & numerationem fol. 1—240. plagulas duas principes sexque ad calcem excludentem exhibent; in externis & internis numeros referunt sectiones indicantes, in inferioribus autem signaturas a—ꝛ aa—dd, A, arabicis notis sociatas quae duas plagulas omnibus praecedentes haud respiciunt. Charta pro signo bubulum caput visendum mihi luminis ope illam inspicienti obtulit, quod quum crucem hastatam in fronte gerat hastae obvolvitur anguis. In priori pagina legitur, *Petrus de palude in quartum sententiarum*. Folio 2. recto nuncupatoria adest epistola cum inscriptione, *Reuerendissimo in xp°o patri dño dño Thome donato patriarche Venetiarꝶ ordinis predicatorꝶ: Frater Paulus Soncinas eiusdem ordinis salutẽ & cõmendationem*. Huic nuncupatoriae epistolae obstestatio vel exhortatio quaedam subest quam dirigit *Idem frater Paulus ad lectorem*, quae quum brevis sit & novitatem quaedam praeseferat integram referre libet, *Lector ingenue te per tuam rogo humanitatem ac per iura virtutis & amicitie ne me igni absumas. Parce precor furori & te furiis tempera. Mea opera effectum est ut Petrum habeas integrum & apprime castigatum. Quamobrem mibi gratie babende sunt sempiterne. Ceterum cogita non posse me flammis tradi. quin edaci tu primum livore estuque inardescas. Agas igitur velim quod philosophi & sapientissimi viri est. Vale*. Opus incipit fol. 1. recto numerato & ubi desinit, typographo notitiam hanc imprimere placuit, *Explicit scriptum in quartũ sententiarꝶ Clarissimi Acutissimiq; doctoris Petri de Palude patriarche Hierosolymitani ordinis fratrũ predicatorꝶ perquãdiligentissime Impressum Venetijs per Bonetum Locatellum Bergomẽsem mãdato Nobilis viri Octauiani Scoti Ciuis Modoetiẽsis. Anno a natali partu* (sic) *Intemerate Virginis nonagesimotertio cum Quadringentesimo supra millesimum. XII. Kalendas Octobris*. Tria epigrammata in laudem Petri de Palude adcedunt quorum prius decem, secundum tribus, tertium quatuor constat distichis. Sequitur ultimus fasciculus qui tabulam, registrum, Octaviani Scoti symbolum, tandemque vacuam paginam exhibet.

—— Alia editio, eiusdem Libri IV. cum *Expositione* S. Thomae Aquinatis, Venetiis 1497. in fol. min. cum duplici columna in paginis, duplicique gothico charactere express. maiori scilicet ad textum pertinente & minori ad *expositionem* textui articulis insertam. Columnae igitur minori charactere tantum cusae, implentur lineis 66. Ad initiales litteras exprimendas formas ligneas caelatas inseruit characterum compagini typographus. Signa circumnotata sunt, inscriptiones & num. fol. 2—264. in superiori marginis ora, & alphabeticae series elementorum A—Z, AA—KK cum arab. num. ordinem scaporum servantes in inferiori, nam custodes penitus desiderantur; charta obsignatur galero. Haec sunt

sunt in priori pagina litteris maiusculis expressa, *Sanctus Thomas de Aquino super quartum librū magistri sententiarū.* Opus sumit exordium a fol. 2. recto, desinit vero 258. recto eidemque subscribitur, *Opus p⁹clarū sacre pagīe doctoris eximij scī Thome de Aquino sup⁹ q⁹rtū sentētiarū īpēdio nobilis viri dñi Octauiāi scoti ciuis Modoecīēsis sūma cū diligētia Venetijs īpressum fuit. Anno salutis dñice septimo & nonagesimo supra millenariū & q⁹dragenariū. Decimo kalēdas Iunias Per Bonetū locatellū Bergomēsem. Deo gratias.* Tabula deinde occurrit quam excipit registrum & Octaviani symbolum notissimum; in postrema pagina nullus character impressus exstat.

Lyciorvm, *Epistolae* IV. ad Marcum Brutum, Rinucio Thettalo interprete, Florentiae 1487. Exstant cum illis Bruti, v. *Bruti*.

Lyra (*Nicolai de*), *Postilla* in *Epistolas* & *Evangelia* Quadragesimae, Venetiis 1494. Exstat cum textu *Epistolarum* & *Evangeliorum*, v. *Epistolae*.

—— Alia editio, Venetiis 1500. v. *Epistolae*.

MAC

Machiavelli (*Nicolai*), *Mandragola*, notis omnimodis destituta typographicis in 8. min. Paginarum compositor lineas 21. rotundi characteris satis conspicui & elegantis unicuique aptavit, margines circumstantes angustae nulla nota, exceptis signaturis A — K cum rom. num. min., praeditas voluit; initialesque typis uncialibus expressit. Chartarii insigne ut ex fragmentis comperi Florentinae Reipublicae lilium est. Exemplum prima & quarta plagula orbatum incipit a versibus istis prologi, nam prologus carmine rhythmico exprimitur quamvis prosaica *Comoedia* sit,

Qual Priore, o babate.

Habiti el tempio challincontro e posto

Desinit *Comoedia* linea 2. fol. ultimi recti & post duarum spatium finis. additur, nil vero in sequenti pagina occurrit impressum. Editio haec an ad saeculum XV. vel ad initium XVI. pertineat adfirmare non ausim. Tribus attamen de caussis omittendam non esse arbitratus sum, nimirum I. quod oeconomia typographica characterisque modulus saeculum XV. non parum redoleant, II. Quod Nicolai Machiavelli aetati nullo pacto adversetur opusculum illius saeculo XV. impressum fuisse, quum in lucem editus anno 1469. iam 31. annum ageret Nicolaus initio saeculi XVI. & haec opella inter iuveniles lusus recensenda videatur. III. Quod rara & ignota sit editio. Iisdem rationibus ductus recensui in T. I. col. 150. 151. duas Ludovici Ariosti *Comoedias*.

Maffei (*Celsi*), *Epistola pro facillima Turcorum expugnatione*, sine notis typographicis in 4. min. Ornamento ligneo circumstipati prioris paginae characteres visuntur, & *epistola* in eadem statim incipit verbis hisce rubricatis praeeuntibus, *Pro facillima Turcorum expugnatione epistola. Serenissimo Principi & Excellentissimo Domino. D. Andrea Vendramino Dei gratia Inclyto Duci Venetiarū. Celsus Veronensis canonicus regularis. S. Pl. Dicit.* Custodes & fol. numeri desiderantur, signatura existit a, cum num. arab., unico quippe fasciculo 8. plagularum opusculum absolvitur. Litteram initialem florenti ligneo typo expres-

pressit typographus qui rotundo optimo charactere usus est, lineasque 24. adimplevit in unaquaque pagina integra; chartarii duplex exstat signum albae papyro inhaerens, & caput bovinum utrumque repraesentat, sed ex altero crux hastata cum angui procedit, in altero rosa pro cruce & corona pro angui habentur. Desinit *epistola* hac 23. linea penultimae paginae absque ulla subscriptione, *plurimum cōmendamus atq; tradimus*, sequens pagina impressis destituitur notis. Licet typographica nota desit, tamen ex conlatione cum sequenti opusculo describendo adparet ex eadem officina profectum esse; utrumque vero characteribus impressum fuisse deprehendi, quibus Bernardus Pictor, Erhardus Ratdolt, & Petrus Loslein anno 1477. Venetiis Appiani versionem latinam suis locis descriptam excudere.

—— Eiusdem, *Scrutatoriolum* duplex, unum scilicet *pro confessionibus Cardinalium & praelatorum*, & aliud breve *pro confessionibus peccatorum* unicuique accommodatum, 1478. in 4. min. In rebus typographicis convenit cum praecedenti opusculo, ut innuimus, sed duas florentes initiales habet, & signaturae a, b, duos fasciculos distinguunt; pro chartarii autem signis candelabrum & libram detexi luminis ope. Prior pagina ornamento ligneo includitur diverso tamen ab illo opusculi praecedentis. Nuncupatoria epistola a prima pagina sumit exordium & inscriptioni huic rubricatae subditur, *Suo Reuerendissimo patri & Domino. D. B. Zeno diuina miseratione presbytero Cardinali sanctæ Mariæ ī porticu. Celsus Mapheus ueronensis canonicus regularis congregationis Lateranensis Salutem æternam & cōmendationem peroptat:* Haec desinit folio verso & excipitur a primo *Scrutatoriolo* cui praeest titulus, *Incipit Monumentū compendiosum pro confessionibus Cardinaliū reliquorūq; prælatorū præter cōmunes confessionum regulas a Celso Mapheo Veronensi canonico regulari congregationis Lateranensis congestum*. Inter primum & secundum opusculum verba haec locum obtinent, *Explicit breue scrutatoriolum pro cōfessionibus cardinalium reliquorūq; prælatorū a Celso Mapheo ueronensi canonico regulari congregationis lateranensis congestū. Incipit eiusdem aliud breue scrutatoriolū peccatorū pro cōfessionibus*. Ad calcem integri operis legitur, *Explicit breue scrutatoriolum seu monumentū compendiosum pro confessionibus a Celso Mapheo ueronensi canonico regulari congestum. .M.CCCC.LXXVIII.* Superest vacua pagina. Cl. Denis *Supplem.* pag. 96. huius meminit opusculi & Erhardo Ratdolto recte adscribit.

—— Alia editio, Venetiis 1498. in 4. min. Formas paginarum torculari comprimendas nullo typo marginali instruxit typographus, exceptis signaturis a—d cum num. rom. min., sed illas rotundis elementis non inelegantibus adimplevit usque ad summam linearum 27. Initiales quadratis formis florentibus expressit; charta alba firmaque libra & anchora singillatim circulo inscriptis obsignatur. Praecedit nuncupatoria cum inscriptione, ut in praecedenti sed nigro colore expressa. Ad calcem duplicis *Scrutatorioli*, opusculum aliud occurrit directum *Ad Reuerēdissimū Dominū Cardinalē sancti Marci: Quomodo apostoli & clerici primitiuæ ecclesiæ erāt Regulares: uiuebantq; in communi: & notā perfectionis* (sic) *uitæ emittebant: Per. D. Celsum Mapheū Veronensem canonicū regularem congregationis Lateranensis.* In fine notavit typographus, *Impressum Venetiis per Petrum Bergamensem:* (sic) *Anno domini. M.CCCC.XCVIII. Mensis Marcii die. xxii.* Pagina vacua tandem occurrit. Scipio Maffeius qui praecedentem editionem non novit, huius meminit dum inter Scriptores Veronenses Celsi notitias tradit & opuscula illius recenset.

Celsus Maffeius Veronensis, Paulli Maffeii ex fratre nepos, patrui vestigia se-

secutus Canonicorum Regularium familiae nomen dedit. Patavii sub Timotheo Maffeio optimis disciplinis ingenium excoluit, divinique verbi eximius praeco effectus, supremus Ordinis sui moderator, octies electus, Episcopali etiam honore se dignum praebuit, sed plures oblatas sibi infulas recusavit. A Sixto IV. ad Venetam Rempublicam Legatus missus est, & famae dierumque plenus vitam cum morte commutavit anno 1508. teste Scipione Maffeio qui fere nonagenarium illum obiisse tradit.

Maioli (*Laurentii*), *De gradibus medicinarum*, sine notis typographicis in 4. min. Margines signaturis praeditae sunt A, b — g cum num. rom. min. non tamen aliam notam referunt impressam. Paginae constant lineis 33 rotundi politi characteris. Initiales parvas typographus excudit in quadratis spatiis quibus uncialem coloratam nullam addidit minicularius. Chartarii duo adparent symbola, nimirum bubulum caput cum cruce hastata & angui, ut non semel innuimus, necnon libra omnium signorum frequentissimo, quae papyro candidae & levigatae inhaerent. Folio primo recto titulus iste imprimitur,

DE GRADIBVS MEDI
CINARVM

In aversa facie per *epistolam* nuncupatoriam dicit LAVRENTIVS MAIOLVS GENVENSIS ILLVSTRISSIMO . ET EXCELLENTISSIMO DVCI LVDOVICO MARIAE SFORTIAE PERPETVAM FOELICITATEM. Graecae dictiones tam in hac *epistola* quam toto opere propriis notantur characteribus. Fol. 2. recto incipit *Laurentii eiusdem prologus in totum opus continens necessitatem & utilitatem ipsius præsupposita auctoris intentiõe*. Fol. 2. recto inchoat *Tractatus primus de inuentione graduum* (sic) *medicinarum. Caput primum de proportione graduum ad inuicem secũdum Alchindum & Arnaldum*. Ad calcem legitur FINIS cui subnectitur compendiosum registrum quaternos omnes indicans fasciculos praeter ultimum quinternum. Folium superest vacuum. Quamvis nullum praeseferat typographi & loci expressum indicium, attamen luculentissime patet ex Aldi officina postremis saeculi XV. annis prodiisse; convenit quippe character cum illo alterius opusculi eiusdem Laurentii, quod inscribitur *Epiphyllides in dialecticis*, mox describendi editi ab Aldo anno 1497. Maittairius T. I. pag. 652. editionem anni 1497. Octaviani Scoti recenset, sed nec ille, nec Denisius, nec auctores *Catalogi* editionum Aldinarum nostrae meminere.

—— Eiusdem, *Epiphyllides in dialecticis*, (Venetiis 1497.) in 4. min. Lineae 33. rotundi characteris qui illi praecedentis editionis consonat in unam coeunt integram paginam. Marginibus nullum visitur insculptum signum dummodo excipias inferiores quae litteras a, c — i cum num. rom. min. scaporum ordinem servantes, quotquot supersunt in nostro exemplo manco post primum fasciculum & in posteriori parte, referunt. Initiales formis parvis litterarum repraesentantur; pro chartae signo bubulum caput ut in praecedenti editione visitur ut plurimum. Prima pagina haec refert verba,

Epiphyllides in dialecticis.

Nuncupatoria *epistola* fol. 2. recto imprimitur qua *Aldus Manutius Adolescẽtibus studiosis. S. P. D.* Eodem verso occurrit auctoris ad Aldum *epistola* cum epigraphe, *Laurentius Maiolus Genuensis Aldo suo. S. P. D.* Haec desinit in prima facie folii 3. & in secunda exstat *Ad illustrissimum, & Reuerẽdissimum. D. Dominũ Hippolytum Estẽsem diaconum Cardinalem Sanctæ Luciæ in silice Laurentii Maioli Genuensis, Epistola*. Folio 4. recto & verso index vel tabula impressa exstat. Ex Maittairii T. I. pag. 652. in notis & *Catalog Edit. Aldin.* annus impressionis huius operis hausimus.

Lau-

Laurentius Maiolus, vulgo *Maggioli*, Genuensis, medicus & philosophus, Patavii, Ferrariae ac Ticini philosophiam publice professus est, saeculo XV. & inter auditores habuit Ioannem Picum & Albertum Pium. Obiit in patria ann. 1501. Tirabosch. T. VI. pag. 383.

Martini *PP. V.*, *Decretum* ex eius registro excerptum circa *Carolinam de libertate spiritualium personarum & Ecclesiarum immunitate*, 1476. sine loci & typographi nota. Exstat cum *Regulis Cancellariae* Pauli II. & Sixti IV., v. *Pauli*.

Martinus V., Otho Columna Romanus, Pontifex electus est in Concilio Constantiensi anno 1417. decessit anno 1431.

Matheoli *Perusini*, *De memoria*, absque ulla nota in 4. min. Lineas 33. characteris gothici sed nitidi typographus commisit paginae unius integrae adimplendae gratia, sed margines ab omni impressione liberas relinquere voluit. Initialis desideratur, non tamen spatium eidem pingendae destinatum. Plagulis 4. absolvitur opusculum quae quum unica papyrus revera sint, signum forficis unice referunt. Praeit titulus opellae, *Tractatus Clarissimi Philosophi et medici Matheoli p⁹usini de Memoria*. In fine adnotata haec legi, *Hec igitur sunt viri digni medicinalia que inter alia electissima pro seruanda memoria & finem facio*. Pagina vacua superest. Opusculum hoc ex typographia Stephani Planck absque dubio prodiit, id enim perspicue docet characterum forma quae cum aliis editionibus non paucis descriptis convenit. Quamvis tempore inferior sit illa Patavina, de qua in T. II. col. 170., attamen non parvi facienda est ob eius raritatem. Audiffredus diligentissimus pag. 340. cuiusdam editionis Romanae sed Eucharii Silber notitiam ex Lackmanno hausit, & alteram in Bibliotheca Chisiana exstantem typographicis notis destitutam oculis usurpavit; sed harum neutra cum nostra convenire potest; prior enim ad Silberum refertur & probabiliter nomen illius gerit, secunda nullatenus Planckio vel alteri Romano Typographo ab Audiffredo adscribitur, qui quum optime characterem Planckii cognosceret, ut praeter alias editiones argumento esse possunt *Oratio* Hermolai Barbari & illa Antonii Geraldini ad annum 1486. N. VIII. IX. descriptae, iisdemque omnino quibus opusculum nostrum characteribus cusae, si in editionem nostram incidisset idem profecto quod de *Orationibus* Barbari & Geraldini iudicasset nedum vellet de typographo omnino silere.

Maximi, *Epistola* ad S. Cyprianum una cum Urbano, Sidonio & Macario scripta, Romae 1471. Exstat cum illis S. Cypriani, v. *Cypriani*.

Mayronis (*Francisci de*), *Passus super universalia & praedicamenta Aristotelis*, Venetiis 1489. Exstant cum *Summulis Logicis* Petri Hispani *& expositione* Nicolai de Orbellis, v. *Hispani*.

Messahallach, *De receptione Planetarum*, *De interrogationibus*, *Epistola cum duodecim capitulis*, *& de revolutionibus annorum mundi*, latine ex arabico traduxit Ioannes Hispalensis, saltem prius opusculum, ut ex titulo eiusdem adparet, Venetiis 1493. Exstant cum *Libro Quadripartiti* Ptolemaci, v. *Ptolemaei*.

Messana (*Stephani de*), Versio *Centiloquii* sive libri centum *Aphorismorum* Hermetis Trismegisti, sine nomine interpretis, sed Stephani adparet ex conlatione cum editione descripta in T. II. pag. 716., Venetiis 1493. v. *Trismegisti*.

Milesiorum, *Epistolae* duae ad M. Brutum, latine, Rinucio Thettalo interprete, Florentiae 1487. Exstant cum illis Bruti, v. *Bruti*.

Mithridatis *Regis*, *Epistola* ad Mithridatem consobrinum suum, ex versione Rinucii Thettali, Florentiae 1487. Exstat *Epistolis* Bruti praefixa, v. Bruti.

Mo-

Mogvntina *Statuta Provincialia*, sine certis typographicis notis. Exstant cum illis *Eystettensis Ecclesiae*, v. *Eystettensis*.

Monte *Calerio* (*Philippi de*), *Postilla* in *Evangelia* ab Ionselmo de Canova in *Compendium* redacta, (Mediolani) sine anni & loci distincta notitia, v. *Canova*.

Mvgello (*Dini de*), v. *Dini*.

Myrensivm, *Epistolae* duae ad Marcum Brutum, latine ex Rinucii Thettali versione in qua Smyrnaeis tribuuntur, Florentiae 1487. Exstant cum illis Bruti, v. *Bruti* & conf. T. II. col. 868.

NIC

Nicandri, *Theriaca* & *Alexipharmaca*, cum *Scholiis*, graece, Venetiis 1499. Exstant cum opere Dioscoridis *de materia medica*, v. *Dioscoridis*.

Nicander Colophonius Damnaei filius, grammaticus, medicus & poeta disertus, floruit temporibus Attali Regis Pergami qui regnavit ab Olymp. CLV. $\frac{3}{4}$ ad CLX $\frac{2}{4}$. Ex eius scriptis duo tantum supersunt poemata, scilicet *Theriaca* & *Alexipharmaca* quorum alterum, ut nomen indicat, de bestiis venenatis & remediis adversus illas, alterum de remediis adversus venena per cibum vel potum hausta agit. Haec ex Fabric. *Bibl. graec.* Lib. III. Cap. XXVI. qui de metaphrasi graeca Eutecnii Sophistae utriusque poematis tunc temporis ms. in Biblioth. Imperatoris & in aliis Galliae latitante aliquid innuit. Huius itaque metaphraseos Cod. membranaceus insignis, Dioscoridis etiam *Herbarium* continens, saeculi IX. vel X., cum figuris animalium & herbarum adfabre vividissimisque coloribus depictis, exstat Florentiae in Biblioth. Rinucciniana qui melioris notae mihi, vel leviter illum consideranti, visus est eo apographo ad cuius normam Eutecnii metaphrasis, Florentiae ann. 1764. typis edita fuit.

Nicolai *PP. V.*, *Commissio Visitationis Ecclesiae Eystettensis* ad Nicolaum Cardinalem S. Petri ad Vincula directa, data Romae anno 1453., sine certis notis typographicis. Exstat praefixa *Bullae Visitationis* praedicti Cardinalis in *Statutis* Eystettensis Ecclesiae, quae quum describeremus superius, hanc etiam velut *Bullam* Nicolai laudati Cardinalis haud recte indicavimus, v. *Eystettensis*.

—— Eiusdem, *Epistola* brevis ad Episcopos Constantiensem & Spoletanum, & Praepositum Frisingensis Ecclesiae qua *Decretum* Martini V. circa Carolinam de registro ipsius Martini transcriptum ad instantiam Petri Episcopi Augustani & Cardinalis transmittit exequendum anno 1454. iv. id. Novembris Pontif. ann. IV. item eiusdem *Decretum* sive *Compactata Principum tam spiritualium quam secularium super electione Prelaturarum ac collactione Beneficiorum*, anni 1447. xiii. kal. Aprilis Pontific. anno II. Exstant impress. cum *Regulis Cancellariae Apostolicae* Pauli II. & Sixti IV., 1476. sine loci & typographi indicio, v. *Pauli*.

Nicolaus V., antea Thomas Calandrinus Sarzanensis, ex Bononiensi Episcopo ad Romanam Sedem electus est anno 1447. die 6. Martii, obiitque die 24. Martii ann. 1455. Quum hic Pontifex annum a die 25. Martii auspicaretur mirari non subit in aliquot *Bullis* annum 1446. exprimi, & 1447. secundum eius Pontificatus indicari ut visum est.

Nicolai *S. Petri ad Vincula Cardinalis*, *Bulla Visitationis Ecclesiae Eystetten-*

tenſis anni 1451., & alia in Dioecesana Synodo Bambergenſi cui praeſidebat anno 1455. edita, ſine notis typographicis. Exſtant cum *Statutis* Eccleſiarum Eyſtetrenſis & Moguntinae, v. *Eyſtettenſis*.

—— Eiuſdem, *Decretum*, datum Herbipoli 22. Maii 1451., ſine loci notitia 1476. Exſtat cum *Regulis Cancellariae* Pauli II. & Sixti IV. v. *Pauli*. De hoc Cardinali, alias de Cuſa, v. ſuperius col. 63.

Nvrsia (*Benedicti de*), *De conſervatione ſanitatis*, Romae 1493. in 4. min. Paginae completae lineas habent 33. gothici characteris. Margines ſignaturis tantum praeditae ſunt a—g cum arab. notis, cuſtodes enim & fol. numeri omiſſi fuere a typographo qui uncialibus typis abſque ullo ornamento initiales litteras notavit, prima excepta florenti lignea forma exculpta; libra chartam ſpiſſam obſignat. Praeit folium vacuum quod excipit aliud tabulam complectens opus enim inchoat a folii tertii priori pagina & titulo huic ſubiacet, *Incipit libellus de conſeruatione ſanitatis: ſecundum ordinem alphabeti diſtinctus: per eximium doctorem magiſtrum Benedictum compoſitus*. Ad calcem legitur *Finis* ac poſtmodum, *Impreſſum Rome per Magiſtrum Stephanum Planck Anno domini. M.cccexciij. Quarto Non. Maij*. Pagina vacua ſupereſt.

OLD

Oldradi *de Laude*, v. *Laude*.

Orbellis (*Nicolai de*), *Expoſitio Summularum Logicarum* Petri Hiſpani, Venetiis 1489. Exſtat impreſſa huiusmodi *expoſitio* cum textu Hiſpani & aliorum Scriptorum opuſculis, ſcilicet Franciſci de Mayronis *Paſſilus*, Antonii Andreae *Quaeſtionibus*, Boneti *formalitatibus*, Antonii Sirecti *formalitatibus modernioribus* & S. Thomae *Fallaciis* & *tractatu de ente & eſſentia*, v. *Hiſpani*.

PAE

Paeti, *Epiſtola* ad Artaxerſem, latine ex Rinucii Thettali verſione, Florentiae 1487. Exſtat cum Hippocratis *epiſtolis*, v. *Hippocratis*.

Palvde (*Petri de*), *Explanatio* in Librum IV. *Sententiarum*, Venetiis 1493. Exſtat inſerta ſectionibus textus eiuſdem libri, v. *Lombardi*.

Panormitae (*Antonii*), *Oratio & ſui ipſius commendatio ad Regem Aragoniae*, & eiusdem *Exhortatio Ianuenſium contra Venetos in bellum*, Romae 1475. Exſtant impreſſae cum opere Alberti de Eyb cui titulus *Margarita poetica*, v. *Eyb*.

Antonius Beccadellus, Panormita, a loco nativitatis vel domicilii dictus, Henrici filius, vir litteratiſſimus, iuriſperitus, & poeta laureatus, anno 1394. natus eſt, denatus vero Neapoli anno 1471. De eius vita & operibus conf. Mongitorem, Zenum, Schiavum, ac praecipue Tiraboſchium in T. VI. pag. 753. & ſeq.

Pa-

Passionale, seu *Vitarum Sanctorum Pars aestiva*, germanice, Augustae Vindelicorum 1485. in fol. parvo, cum tabulis sive iconibus ligneis, colotibus a miniculario illitis. Charta huius voluminis densa admodum & albedine satis commendabilis signatur figura taurini capitis diversimode expressa. Character conspicuus pinguis formae in quavis foliorum secunda pagina intervallis consuetis maioribus destituta lineas adimplet ut plurimum 34., nam ptiorum paginatum lineas principes numerationes occupant foliorum hoc pacto expressae, ut prioris paginae exemplum pro omnibus refetam,

Das erst blat

Nullus custos nullaque signatura occurrit; initialium plurimarum locum tabellae ligneae cum Sanctotum imaginibus occupant, quaedam vero unciales sine ornamento exprimuntur, princeps autem lignea forma caelata notatur. Foliis igitur numeratis 380. & aliis sex non numetatis initio operis constat Volumen quod vacua plagula incipit. Vitis Sanctorum quaedam praecedentia occurrunt circa institutionem *Litaniarum* vel *Rogationum*, & *Quatuor temporum* observationem, quae cum fol. 2. recto exordiantur, titulum hunc praefixum habet sermo qui de *Litaniis* agit, *Von der kreützwochen vnd warüb sy auff gesetz ist*. Fol. 4. verso tabula Vitarum Sanctorum incipit & 5. verso terminatur, sexti prima facies alba remanet secundae impressa est xylographica tabula quae SS. Trinitatem, Patrem scilicet sub figura senis in throno sedentis, Filium sub illa agni & Spiritum Sanctum sub specie columbae, inter B. M. Virginem, eius sponsum Iosephum, duosque Angelos repraesentat. In posteriori tabulae parte S. Ambrosii imago visitur, hinc & illinc aliorum Sanctorum figuris stipata. E regione incipit opus ab eiusdem Ambrosii Vita, cui praeest ruber titulus huiusmodi, *In dem namen der heyligen vnd vnteylbern trinaltikeit amen. Hie hebt sich an das loblich bůch passional. das ist der heyligen leben vnnd mit namen das summer teyl. welches passional gar kostlich vnd heylsam zelesen ist. darūb man vindt was dye lieben heyligen vnd diener gotes ūm den namen ihesu christi vnd vmb den heyligen gelauben geliten habent. Vnnd zů dem ersten von dem lieben heyligen lerer sant Ambrosio dem heyligen bischoff.* Ex typographica nota ad calcem opus fuisse excusum Augustae Vindelicorum ac die Mercurii absolutum ante festum S. Viti anno 1485. adparet. En illa prout iacet, *Hye endet sich der heyligen leben. das sumer teyl Gedruckt vnd volendet in der keyserlichen stat Augspurg An mittwochen vor viti. Nach cristi gepurdt tausent vierhundert vnd in dem fünffundachtzigesten. iar.* Pagina superest vacua. Bibliographis non paucis consultis, in hanc editionem incidere mihi non contigit.

—— Alia editio, sed integra, scilicet *Partis aestivae*, & *hyemalis*, Norimbergae 1488. in fol. magno cum figuris ligneis penicillo coloratis. Volumen hoc non inferioribus typographicae artis monumentis certe adnumerandum characteres minus pingues, sed nitidiores quam praecedens editio exhibet, qui in duas columnas divisi in qualibet earum lineas 51. occupant. Signaturae & custodes locum haud obtinent in marginibus, quum superioribus tantum adhaereant inscriptiones Sanctorum Vitas indicantes & fol. numeti I—CCCLXXXV. qui excludunt postremum vacuum. Tituli & principes sectionum lineae maiusculis exprimuntur litteris quemadmodum inscriptiones indicatae; initiales a miniculatore spatiis insertae fuere; charta rosae figura notatur, ut ex pluribus plagulis luci expositis comperi. Praecedit omnibus tabula quae S. Ambrosium in Cathedra sedentem & coram populo disserentem reptaesentat. Titulus operis tabulae subiacet & Vitae eiusdem Ambrosii

praeest; en eius verba, *Hie hebt sich an das summer tayl der heyligen leben. vnd zu dem ersten von dem lieben heyligen lerer sand Ambrosio dem bischoffe*. Typographica nota ad calcem ita exprimitur, *Der hochen vnteylbern heyligẽ Trinaltigkeyt zu lob. Marie d⁹ wirdigsten iunckfrawen vnd muter Iesu cristi zu eren. allen tugentlichen cristen menschen zu einer heylsamẽ anweysung Ist gedruckt diss Passional. das ist der heyligen leben. durch Anthoniū Koberger. vñ geendet auff freytag den nechsten vor sant Nicklas tag. Iñ der keyserlichen stat Nüreinberg. Im iar vnser erlösung. da man zalt Tausent vierzehenhundert vñ im achtvndachtzigsten. nach cristi vnsers lieben herren geburt*. Ex hisce verbis patet Volumen fuisse impressum Norimbergae ab Antonio Koburgero anno 1488. & absolutum die Veneris ante festum S. Nicolai. Baver in *Bibl. Libr. rar. univers.* T. III. pag. 173. perraram hanc editionem vocat.

Patarensivm, *Epistola* ad M. Brutum, Rinucio Thettalo interprete, Florentiae 1487. Exstat cum Bruti *epistolis*, v. *Bruti*.

Pavli *PP. II.*, *Regulae*, *ordinationes & constitutiones Cancellariae*, adcedunt illae Sixti IV., 1476. sine loci & typographi indicio in 4. min. Linearum 24. compages implet quamlibet ex integris paginis. Character gothicus est pinguis, custodes & fol. numeri nulli existunt, initiales spatiis tantum plerumque indicatae fuere; signaturae occurrunt, sed non obviam earum imprimendarum rationem secutus est typographus, nam superioribus marginibus illas adposuit, omissisque litteris numeros tantum min. rom. adhibuit. Series earum sunt i—v, vi—x, xi—xv, xvi—xx, xxi—xxiiii, xxv-xxviii, xxviiii-xxxii, xxxiii-xxxvii, xxxviii—xlii, xliii—xlvii, xlviii—lii, liii—lvii. Quaevis ex notatis seriebus ad unum pertinet fasciculum & folior. cuiusvis summam indicat, sic ex. gr. primus qui numeros i—v habet primis quinque foliis rectis impressos plagulas decem continet, secundus qui vi—x signatur totidem constat &c. Animadvertendum tamen est non omnibus libri fasciculis signaturas inhaerere, sed usque ad illum inclusive qui typographicam notam refert & *Carolinae* praecedit, nam desunt prorsus marginalia signa in foliis 46. quae post notam indicatam occurrunt. Charta praestans firmitate sed non aeque albedine figura bubuli capitis signatur, e quo hasta vel linea in rosam desinens procedit. Titulus praeest *Regulis* Pauli II. nimirum, regvle ordinationes. *et cōstitutiones Cancellarie Sanctissimi dñi nostri dñi Pauli diuina p⁹uidētiā pape Secundi scripte et correcte in Cancellaria Apostolica*. Post *Bullam de prorogatione quinquennii* tres vacuae paginae occurrunt, ac deinde legitur bvlla de beneficiis affectis quam excipit ioannis papae. xxii. constitvtio quae incipit, *Execrabilis*, & haec vicissim excipitur ab alia quae nuncupatur benedicti pape. xii. reservatio ad regimen. Duae adcedunt Pauli II. *Bullae*, scilicet *contra Simoniacos* & *de casibus reservatis*, quibus Eugenii IV. subditur *Privilegium curialium*. Sequuntur *Termini causarum* Romanae Curiae & *modus vacandi Beneficiorum* cum aliis ad camdem materiam pertinentibus, quibus *Regulae* Pauli II. terminantur, *Finis* tantum addito ad calcem. Folio recto signaturae xlviii. incipiunt regvlae. ordinationes. *et cōstitutiones Cancellarie Sanctissimi dñi. Nostri domini Sixti. diuia p⁹uidentia Pape Quarti. scripte & correcte in Cancellaria aplica*. Hisce absolutis verba impressa occurrunt, *Lecte et publicate fuerunt supras cripte regule. Ro. in Cancellaria apostolica die. Martis. xxvij. Mensis Augustii* (sic) *Anno. d. M.cccc.lxxi. Inditione quarta. Pontificatus S. D. N. D. Sixti Pape Quarti Anno. primo. G. de puteo et in audientia Contradictarum die Mercurii secunda Octobris Anno et pontifi-*

tificatus (sic) *vt supra Or. De Vrsinis locumtenens. Explicit. M.cccc.lxxvi.* Sequitur pars reliqua voluminis absque signaturis quae plura continet, nimirum I. *Decretum* quod *Carolina* adpellatur ex registro Martini V. praevia *epistola* Nicolai V. qua *Decretum* ipsum transmittit Episcopis Constantiensi & Spoletano necnon Praeposito Frisingensi. II. Caroli IV. *Constitutiones* in *Carolina* contentae, vernacula hoc est germanica lingua expressae. III. *Bulla* Nicolai V. sive *Compactata principum tam spiritualium quam secularium Sup⁹ Electiōe p⁹laturarꝫ Ac Collactione Beneficiorꝫ*. IV. DE PACIFICIS POSSESSIONI*bus non molestandis*. & DE ASSIGNATIONE CON*grue porcionis Et vicariis*. V. *Decretum* Nicolai Cardinalis S. Petri ad Vincula, VI. *Inhibitiones secundum Theologos & Canones* &c. VII. *De quadragena, septena sive carena* &c. VIII. De institutione festi Corporis Domini & *Bulla* de hac re Urbani IV. institutoris. IX. *Indulgentiae* ab eodem Vrbano, Martino V. & Eugenio IV. concessae. X. *Transumptum Concilii Basileensis litterarum Eugenii IV.* circa easdem indulgentias. XI. *Decretum* Concilii Basileensis cui inseritur *Bulla* Eugenii IV., & terminatur his verbis, *Datum Basilee Quinto nonas Iulii Anno a natiuitate dñi Millesimoquadringētesimotricesimoquarto In xp⁹i* (sic) *ihesu dño nr⁹o Amen*. Cl. Braunius P. I. pag. 185. editionem hanc diligenter pro more describens typographo Augustano Gunthero Zainer characterum argumento permotus adscribere videtur, id enim similitudo eorumdem quam cum illis huius typographi reperisse dicit nobis persuadet.

PERGAMENORVM, *Epistolae* V. ad Marcum Brutum ex latina versione Rinucii Thettali, Florentiae 1487. Exstant cum illis Bruti, v. *Bruti*.

PERGVLENSIS (*Pauli*), *Dubia*, Venetiis 1493. Exstant cum Rodulphi Strodi *Consequentiis* &c., v. *Strodi*.

PEROTTI (*Nicolai*), *Oratio pro receptione Friderici Romanorum Imperatoris ex parte Communis Bononiensis*, Romae 1475. Exstat cum *Margarita poetica* Alberti de Eyb, v. *Eyb*.

PETRI *Moguntini Archiepiscopi*, *Statuta provincialia*, sine certis typographicis notis. Exstant cum illis Ecclesiae Eystettensis, v. *Eystettensis*.

PHILELPHI (*Francisci*), *Fabulae*, latinis versibus hexametris & pentametris expressae, Venetiis 1480. in 4. min. Litterarum lineae cuivis paginae cohaesae numero 30. sunt, nisi ob frequentia congrua intervalla pauciores adponere typographo necesse fuerit: Signaturae, custodes, numerique plagularum desunt; initiales parvis typis expressae videntur, sed non raro omissae fuere. Characteres gothici sunt sed nitidi; foliis absolvitur libellus 24. in quibus pro chartarii signo persicum detexi. *Fabulae* XXXII. sunt inter quas notabilis est XXVI. quod non figmentum sed veram historiam referat; titulus est, *De spectabili dño xp⁹oforo d⁹ Aliprādis & Reuerēdissimo dño Antistite Nouariēsi*. Opus incipit absolute a *fabula* prima cui titulus, *De tp⁹e & sene & puero mox senescente*. Desinunt ultima linea fol. penultimi versi, & in prioris paginae sequentis summitate hae duae lineae impressae occurrunt,

Expliciunt fabule clarissimi poete Philelphi Facte Venecijs expensis. M. C. 1480.

Reliquum paginae & tota sequens nullo inficiuntur impresso charactere. Maittairius T. I. pag. 776. huius opusculi meminit, ex Biblioth. Hohend. notitia eiusdem hausta, non tamen illud inveni in pluribus quos evolvi *Catalogis*.

—— Eiusdem, Versio *Vitarum* ex Plutarchi graeco idiomate Galbae & Othonis, Venetiis 1491. Exstant cum aliis Plutarchi vitis, v. *Plutarchi* & conf. T. II. col. 327.

—— Eiusdem, *Odae* sive *Carminum* libri, (Brixiae) 1497. in 4. min. Haec

circa

circa oeconomiam typographicam adnotanda occurrunt. Character rotundus in lineas 29. divisus in paginis quibusvis plenis, signaturarum series a—m cum num. rom. min. quae duas plagulas principes non respicit; custodum numerorúmque plagularum omissio; initiales formis florentibus ligneis caelatis impressae, & nonnunquam parvis litteris tantum indicatae. In priori & 5. pagina legitur,

ODAE FRANCISCI
PHILELFI.

Secunda, tertia & pars quartae nuncupatorium carmen continent quod dirigit auctor *Ioannes Franciscus bostianus ad Magnificū & insignem patritium Lodouicum Martinengū*. Distichon 26. de typographo ita loquitur,

Angelus impressit Lodouice britānicus: alti
Ingenii primos inter habende uiros.

Sexta pagina vacua est, septima autem incipit *Francisci Philelfi præfatio in libros carminum ad Franciscum Sphortiam mediolanensium quartum ducem inclytum*. Ad calcem integri operis legitur, *Impressit hoc opus Angelus Britannicus die. iiii. Iulii. M.cccclxxxxvii.* Vacua superest pagina.

Philonis, *De mundo*, graece, Venetiis 1497. Exstat hoc opus in Vol. III. *Operum* Aristotelis superius descripto, v. *Aristotelis* & conf. Fabric. *Bibl. graec.* Lib. IV. pag. 115.

Philoponi (*Ioannis*), *Vita* Aristotelis, graece, Venetiis 1497. Exstat in Vol. III. *Operum* Aristotelis, v. *Aristotelis*;

Ioannes Alexandrinus grammaticus, a multitudine scriptorum & studii adsiduitate Philoponus adpellatus, floruit saeculo septimo Christi, & in Concilio Constantinopolitano An. 681. inter alios haereticos condemnatus est ob opiniones a Catholicis doctrinis abhorrentes; quum praecipue Chalcedonensis Concilii & dogmatis de resurrectione corporum oppugnator, & auctor sectae Tritheitarum fuisset. V. Fabric. *Bibl. graec.* Vol. IX. pag. 358.

Picolhominei (*Aeneae Silvii*), *Historia rerum gestarum per Germaniam & Europam sub Friderico III.* e latino germanice traducta, Augustae Vindelicorum 1496. Exstat impressa cum *Chronico*, v. *Chronicon*.

Pisani (*Boni Accursii*), *Compendium Elegantiarum* Laurentii Vallae, Venetiis 1481. in 4. min. Citra linearum 31. numerum paginas huius operis typographus constituit, qui signaturas a—g cum num. rom. min. ex marginalibus connexionis plagularum & scaporum indiciis tantum exsculpsit. Initiales pleraeque spatiis duntaxat indicantur, reliquae parvis litteris rotundis eiusdem moduli earum quibus exprimitur opus; charta firma & alba galero libraque signatur. Fol. primo verso epistola imprimitur dedicatoria qua *BOnus Accursius Pisanus Salutem Dicit plurimam Magnifico Equiti Aurato Et Sapiētissimo Ac primo Ducali Secretario Ciccho Simouetæ.* Incipiunt fol. 2. recto LAVRENTII VALLENSIS VIRI CLARISsimi *Elegantiæ Ad Breue Quodam* (sic) *Ac perutile Redacte Compēdium. Et Primum De Nominibus in Osus.* In fine haec notavit excusor, *Ellegantiole* (sic) *Compendium Laurentij Vallensis: Virtute Nicolai Girardenghi de Nouis: Venetiis impresū:* (sic) *M:cccclxxxi: die vii augusti*. Superest vacuum folium. Cl. Denis in *Supplem.* pag. 142. huius meminis editionis.

—— Alia editio, Senis 1487. partim in 4. min. partim in 8. Lineae 31. characteris gothici conspicui in unam coeunt integram paginam. Marginibus internis, superioribus & externis nullum visitur insculptum signum sed inferioribus impressae occurrunt litterae a—i cum arab. notis ad scaporum ordinem servandum; initialibus adpingendis spatia reliquit typographus sed primam parvo typo indicavit; pro chartae signo coronam repperi. Prima statim pagina initium adest operis huic subiectum titulo, *Laurētii Vallensis viri Clarissimi Elegantie*

ad

ad breue quoddã ad (sic) *perutile redacte Compendium*. *Et primum de nominibus in Osus*. Desinit opus in penultima pagina libelli cui *Deo Gratias* primum ac deinceps subditur, *Finis Elegantiarum disertiſsimi. viri Laurentij Vallensis. Senis in domo Magistri Henrici de colonia. anno dñi. m.cccc.lxxxvij. die. viij. maij*. In ultima pagina hoc tetrastichon registro praefixum invenitur, *Abstulerat Latio multos Germania libros. Nunc de multo plures reddidit ingenio. Et q⁹ vix toto quisq⁹ prescriberet anno. Munere germano conficit una dies*. Maittairius *Indic*. T. II. *Append. Alphab.* pag. 559. hanc editionem tardius compertam memorat.

Planvdis (*Maximi*), *Vita Aesopi* & eius *fabularum* collectio, ex graeco latine vertit Rinucius Thettalus, Mediolani 1474., v. *Aesopi*.

Platonis, *Apologia* Socratis, ex graeco latine traducta a Leonardo Bruno Arretino, sine notis typographicis in 4. min. Editio haec inter cimelia Bibliothecarum recensenda quod Bibliographis non paucis quos mihi evolvere licuit ignota sit, charactere rotundo rudiusculo exprimitur in lineas 27. tributo pro quavis integra pagina. Custodibus, fol. num. & signaturis prorsus destituitur, & initiales duas occurrentes litteras nonnisi spatio indicatas exhibet. Foliis 16. densis, sed obscuris opusculum absolvitur quae obsignantur dimidia parte superiori monocerotis & corona. Folio primo recto statim incipit LEONARDI ARETINI ARGVMENTVM IN APOLOGIAM SOCRATIS. Desinit argumentum linea 11. paginae sequentis, ipsumque excipit versio *Apologiae* titulo praevio, INCIPIT APOLOGIA SOCRATIS PER LEONARDVM ARETINVM TRADVCTA: Desinit opusculum penultima pagina quae 28. lineas ad amussim metitur, hancque sequitur vacua.

Plvtarchi, *Illustrium virorum Vitae*, e graeco idiomate in latinum a variis auctoribus traductae, Venetiis 1491. in fol. min. Circa interpretes *Vitarum* &c. convenit haec editio cum illa anni 1478. in T. II. col. 386. descripta, & duobus pariter voluminibus distinguitur. Linearum 62. compactio in quavis integra pagina occurrit, & rotundis characteribus undequaque exprimitur opus. Signaturae prioris voluminis constant elementis a — ſ, secundi A — R cum num. rom. min. Nulli custodes adpositi fuere, inscriptiones in superioribus marginibus & titulos *Vitarum* quadrata elementa exprimunt. Initiales formis lignaeis caelatis excusae *Vitarum* initiis praefiguntur; foliorum numeratio in principe volumine II — CXLV. primam vacuam excludit paginam, in secundo II — CXLIIII. omnes amplectitur; pro signo chartae galerus frequenter occurrit. Folio secundo recto prioris voluminis incipit THESEI VITA PER LAPVM FLORENTINVM EX PLVTARCO GRAECO IN LATINVM VERSA, sed 13. tantum lineae versionis in hac prima pagina impressae sunt, magna enim ex parte ab ornamento & Thesei pugna cum Centauro, ligno haud ineleganter incisis, occupatur; in fronte eiusdem ornamenti exstat inscriptio,

THESEI VITA.
PER LAPVM FLOREN.
TINVM VERSA.

Desinit Vol. I. cum vita Sertorii & registro utriusque Voluminis. Secundi prima facies eodem ornamento ligneo instruitur, sed tabella quae initialis locum obtinens ipsam includit initialem, Cimonem equo vectum illumque pariter carcere detrusum repraesentat. In fronte ornamenti inscriptio legitur,

CYMONIS VITA
PER LEONARDVM IV
STINIANVM VERSA.

Titulus vitae immediatae praefixus est huiusmodi, CYMONIS VIRI ILLVSTRIS VITA EX PLVTARCHO GRAECO IN LATINVM PER LEONARDVM IVSTINIANVM VERSA. Vita Caroli Magni ultimum obtinet locum, caque absoluta subscriptionem hanc legi, quae

quae hinc & illinc LAVS DEO impressum refert, *Virorum illustrium uitæ ex Plutarcho Græcho in latinum uersæ: solertiq; cura emendatæ fœliciter expliciunt: Venetiis impressæ per Ioannem Rigatium de Monteferrato Anno salutis. M.cccc.lxxxxi. die uero septimo decembris.?*. Signum Lucae Antonii Iunctae editionis curatoris his verbis proximum visitur, in ultima pagina nil excusor adnotavit.

POGGII *Florentini*, *Invectiva in Laurentium Vallam*, & *Laudatio funebris* Laurentii de Medicis, Romae 1475. Exstant cum *Margarita Poetica* Alberti de Eyb, v. *Eyb*.

POLONI (*Martini*), *Margarita Decreti* seu *Tabula Martiniana*, quae in nostro exemplo manco ad calcem nullam ostendit typographicam notitiam in fol. min. cum duplici columna in unaquaque pagina. Lineas 60. characteris gothici moduli typographus coniunxit unius columnae formae explendae caussa. Signaturae a — o cum arab. num. supersunt; custodes numerique foliorum omissi fuere, prima initialis parva littera indicatur, reliquae spatio tantum; vocabula sive tituli huius alphabetici operis maiusculis typis exprimuntur; charta obsignatur figura quadam rotae. Folium princeps vacat, secundo autem recto incipit a prooemio *Margarita decreti seu tabula martiniana edita per fratrem Martinū ordinis pͦdicatoꝝ Domini Pape penitētiaꝝ & capellanum*. Desinit exemplum nostrum circa finem litterae V in dictione *Vxoricida*. Ex fragmenti descriptione Bibliographi detegent cui sit typographo tribuenda editio.

Martinus Polonus, Dominicani Ordinis, Monachus, Poenitentiarius & Capellanus Clementis IV., Gregorii X., Innocentii V., Ioannis XXI. & Nicolai III. Ab eorum postremo Viterbii anno 1278. ad Guesnensem Archiepiscopatum in Polonia promotus & inauguratus, quum iter adgrederetur, Bononiae morbo correptus est eodem anno ibique sepultus. Inter Martini opera *Chronicon* praecipuum censetur. V. Quetif T. I. pag. 361. & seq.

PONTANI (*Ludovici*), *Consilia & Allegationes*, Medioiani 1489. in fol. mai. cum distinctione columnarum in paginis. Papyrus huius voluminis candida & firma rosa obsignatur. Characteres eidem insculpti gothicae sunt formae nitidae & lineas in unaquaque columna complectentes 67. Signaturae elementorum seriebus A, B, a — n, A — O, & romanis num. min. indicantur, nullo autem pacto custodes & fol. numeri. Priores *Consiliorum* lineae maiusculis exprimuntur elementis, initiales ubi occurrunt minoribus typis repraesentantur. Folio primo verso rubricae impressae sunt, secundo autem recto *Consiliorum* tabula sumit exordium titulusque praefigitur eidem, *Incipit tabula cōsiliorum recolende memorie dñi Ludouici Romani iuris utriusq; illuminatoris apl'ice sedis prothonotarii & sacri palatii apostolici auditoris benemeriti cōposita & ordinata pͦ clarissimum ēt* (sic) *iuris utriusq; doctorem comitē & cōsistorialē aduocatum dñm Baptistā de Brendis Romanū ipͦius dñi Ludouici dum viuerē in humanis domesticū discipulū pͦ titulos ordinarios decretaliū & quosdā alios extraordinarios. In quibus conueniētius ipsorum cōsiliorum summaria potuerant collocari ad cōem studentium utilitatem. Ex quibus omnibͦ facilis uia putet* (sic) *fructum sine mensura suscipere*. Folia 15. tabula haec fere integra implet, & fol. 17. recto *Oratio domini Ludouici Pontani Romani utriusq; iuris illuminatoris excellentissimi apostolice sedis pͦthonotarij & sacri palatii apl'ici auditoris benemeriti. babita in cōcilio Basilieñ in pͦmo eius aduētu. Incipit feliciter*. Haec duas plagulas occupat, *Consilia* autem incipiunt fol. 19. recto & huic inscriptioni subiacent, *Consilia & Allegatōes clarissimi ac famosissimi iuris utriusq;* illu-

illuminatoris dñi Ludouici Romani Apł^ice sedis. Prothonotarij & sacri Apł^ici palatij causarum Auditoris. Et primo loco Florentie reddita incipiunt feliciter. Post *Consilium* 451. subscripta verba huiusmodi exstant, *Consilia & allegatões famosissimi utriusq; iuris Monarche domini Ludouici Pontani de Roma Senis conscripta & exemplata expliciunt feliciter.* Deinde *Incipiunt consilia amplissimi utriusq; iuris Monarche dñi Ludouici Pontani de Roma que postea rep^ta sunt Senis ideo in fine horum ponuntur.* Eadem sequitur numeratio adeo ut primum ex his noviter repertis sit 452. Postremum *Consilium* quod numerum 424. refert *Sermo* revera est, ut ad calcem ex huiusmodi patet verbis, *Finitur Sermo utriusq; iuris monarche dñi Ludouici Põtani de Vrbe editus & recitatus per eundem in die sancti Thome in cetu patrum uniuersalem ecclesiam ꝛ Basilea representantium.* Typographica haec notitia exinde legitur, *Expliciũt consilia & allegationes clarissimi uiri. d. Ludouici Pontani de Roma ex multis locis ꝛ unum congesta. Impressa Mediolani per Vldericum sciuzenzeler. Anno domini. M.cccc.lxxxix. die. xxviij Aprilis.* Registrum in antica facie ultimi folii impressum visitur, in postica nihil legitur.

Ludovicus Pontanus, Spoleti humili genere natus, Romae a pueritia educatus est unde & Romani cognomentum obtinuit. In Perusino Athenaeo deinde in Bononiensi iurium disciplinae sub celeberrimis illius tempestatis professoribus vacavit, & Bononiae lauream accepit. Romae docuit ac postmodum Senis ubi anno 1433. cum Antonio a Prato Veteri profitebatur & Franciscum Accoltum erudivit. Florentiae Advocati officio functus Nellum a S. Geminiano adversarium habuit. Romam profectus sub Pontifice Eugenio IV. ab eodem Protonotarius creatus est, quumque Alphonso Aragonio adprime carus evasisset Legationem ad Basileense Concilium pro illo suscepit, sed non diu superstes fuit, quum pestilentia sublatus in ea Synodo vix 30. annis expletis occubuisset. Eius memoria fere incredibilis celebratur ab Aenea Silvio. V. Pancirol. *de claris leg. interp.* Lib. II. Cap. XCIV.

Propertii (*Sexti Aurelii*), *Carmina*, Romae 1482. in 4. min. Qui fasciculos compegit volumenque formavit nullo uti potuit marginalium signorum indicio ad folia rite disponenda, quum typographus huic bibliopegi commodo consulere neglexerit. Paginae lineis constant 22. rotundi politi characteris cum spatiis interlinearibus & marginibus amplis; initiales vel spatiis indicantur vel parvis litteris iisdem insertis, inter varia chartae albae levigataeque signa libra adparet; plagulis constat opus 94. impressis. *Carminibus* praecedit titulus,

PROPERTII POETAE ELEGIOGRAPHI CLARISSIMI. LIBER PRIMVS.

Finis iisdem subditur in penultima Vol. pagina ubi desinunt, & in fronte sequentis legitur,

Antonius Volscus recognouit: impressit Rome fidissime Eucharius Silber Anno natalis christiani .M.cccc. Lxxxii. Ante idus Ianuarias: Musis & uirtuti. .D.

Adcedit *Registrum huius libri*. expressum ut adsolet in editionibus signaturis destitutis. Editio haec perpulchra ab Audiffredo iure adpellatur pag. 249. ubi illam recenset.

Ptolemaei (*Claudii*), *Liber Quadripartiti*, cum *Commentario* Haly & *Centiloquium* cum *Commentario* eiusdem, Aegidio de Tebaldis interprete; adcedunt aliorum opuscula, Venetiis 1493. in fol. min. Quae volumen contineat ex huiusmodi elencho in priori pagina discimus,

Liber quadripartiti Ptholemei.
Centiloquium eiusdem.
Centiloquium hermetis.
Eiusdem de stellis beibeniis.

Centiloquium bethem. & de horis planetar͂.
Eiusdē de significatione triplicitatum ortus.
Centum quinquaginta p⁹pōnes Almansoris.
Zahel de interrogationibus.
Eiusdem de electionibus
Eiusdem de tēpor͂ significationib⁹ in iudicijs.
Messaballach de receptionibus planetarum.
Eiusdem de interrogationibus
Epistola eiusdē cū duodecim capitulis.
Eiusdem de reuolutionibus annor͂ mundi.
Duplex columna in unaquaque pagina exstat gothicis elementis plena, quae in textu *Quadripartiti* & *Centiloquii* maioris formae sunt quam in *Commentariis* & opusculis *Commentariis* destitutis. Minor character lineas 67. in columnis integris replet; initiales principes formis ligneis caelatis exprimuntur reliquae parvis litteris. Tituli occurrunt maiusculis typis cusi in marginibus superioribus ubi numeratio foliorum 1—152 duas priores excludens plagulas occurrit; in inferioribus marginibus nulli adsunt custodes, sed signaturas A—T cum notis arabicis ad scaporum ordinem servandum exculpsit typographus. Charta signatur librae tessera. Folio primo verso imprimitur dissertatio quaedam pro nuncupatoria epistola cum epigraphe, *Hieronymus salius fauentinus artium & medicine doctor: dn̄ico marie de annuaria ferrariēsi artiū & medicīe doctori astrologoq; excellētissimo d⁹ nobilitate astrologie. S.* Huic sermoni distinctio voluminis subditur quam tabula alphabetica excipit desinitque fol. 3. verso, quarto enim recto & verso impressa sunt Traductoris Aegidii & Expositoris Haly prooemia quorum priori verba praefixa occurrunt, maiusculis notata formis, *Liber quadripartiti Ptholemei. i. quatuor tractatuum: in radicanti discretione per stellas de futuris & in hoc mundo constructōis & destructionis contingentibus cum cōmento Haly Heben Rodan: cuius in primo tractatu sūt viginti quatuor capitula.* Deinde minusculis typis, *Dixit Egidius de Tebaldis lōbard⁹ de ciuitate parmēsi.* Prooemio Haly praenotatur, *Tractatus primus glose Haly heben rodan: super prima p⁹te libri q⁹dripartiti Ptholemei pheludiani. Dixit Haly.* Ad calcem totius voluminis notitia typographica huius tenoris exstat, *Venetijs per Bonetum locatellum; impensis nobilis viri Octauiani Scoti ciuis Modoetiensis. M.CCCC.LXXXXIII. 13. kalendas Ianuarias.* Octaviani Scoti symbolum notissimum his subiacet verbis, nec aliquid a typographo in extrema pagina proxima notatum fuit. Nomina interpretum horum opusculorum quae notantur, praeter Aegidium de Tebaldis sunt, Plato Tyburtinus qui Almansoris *iudicia* vertit & Ioannes Hispalensis qui Messahallach unum vel omnia traduxit opuscula in hoc opere impressa.

QVI

QVINTILIANI (*M. Fabii*), *De officio discipulorum compendiosa praeceptio*, cum *Explanatione* Iodoci Badii Ascensii, Lugduni 1499. Hoc opusculum quod nil aliud est quam excerptum ex Libro II. *Institutionum Oratoriarum* impressum est cum Boethii opere *de consolatione* & alio *de disciplina Scholarium* cum *Commentariis* in utrumque S. Thomae & Iodoci Badii Ascensii, v. *Boethii.*

RAV-

RAV

RAVDENSIS (*Antonii*), *Errata* L. C. Lactantii Firmiani, Romae 1468. Exstant cum Lactantii *Operibus*, *v. Lactantii*.

REGVLAE *solvendi sophismata*, sine typographicis notis in fol. min. Convenit omnino volumen hoc in rebus typographicis cum editione *Tractatuum de velocitate motus* Angeli de Fosanbruno superius descripta col. 80. signaturis tamen refertum est a — e cum arab. num. ut in editione laudata, licet inibi perperam romanos minores dixerimus; ex initialibus quaedam parvis formis quaedam solo spatio indicantur. Folium princeps vacat, secundo recto opus incipit a prooemio quod sine titulo ab his verbis incipit, (r) *Egulas soluendi sophismata nõ ea quidem que apparenti ɔdictiõe ũdiq; uallauit ĩuc⁹toꝝ subtilitas* &c. In fine legitur, *Correctaꝝ p⁹ eximiũ artiũ & medicĩe doctorẽ M^rm Iohanẽ petrũ de la porta philosophie ordinariã legẽtẽ ĩ felici studio papiẽsi*.

RHAVDENSIS (*Antonii*), v. *Raudensis*.

RHODIORVM, *Epistola* ad M. Brutum ex latina Rinucii Thettali interpretatione, Florentiae 1487. Exstat illis Bruti inserta, v. *Bruti*.

RICETTARIO *Fiorentino*, Florentiae 1498. in fol. parvo binis columnis express. excepta prima plagula. Quadraginta lineis conligatis columnam integram formavit typographus qui rotundis usus est typis litterarum, sed praeter signaturas A — C, a — i, K, l cum num. rom. min. notis marginalibus exprimendis nullam impendit operam Principi litterae pingendae locum destinavit, & titulos quadratis litteris, non tam in principio quam in decursu operis notavit. Pro chartarii signo flos occurrit. In priori pagina exstat huiusmodi inscriptio,

NVOVO RECEPTARIO COMPOSTO DAL
FAMOSISSIMO CHOLLEGIO DEGLI
EXIMII DOCTORI DELLA AR
TE ET MEDICINA DEL
LA INCLITA CIP
TA DI FIREN
ZE

Folio 2. recto prooemium occurrit cum titulo, PROHEMIO, & huic subnectitur librorum divisio, quam excipit alphabetica tabula quae ad folium 6. inclusive progreditur, nam septimo opus inchoat praceunte titulo,

⁋ INCOMINCIA EL PRIMO
LIBRO DEL PRESENTE
RICEPTARIO.

In fine agitur DE PESI *& vari nomi di quelli*. ac postmodum typographica haec exprimitur notitia sex distincta lineis, IMPRESSO *Nella inclyta Cipta di Firenze perla compagnia del Dragho adi. xxi. di Gẽnaio. MCCCCLXXXXVIII Ad instantia delli Signori Chonsoli della uniuersita degli spetiali: El segno dellaquale sipone in questa presente charta*. His verbis revera subditur immediate illius Artis signum, quod B. M. Virginem sedentem cum puero Iesu repraesentat. Aliud minoris formae adcedit, nimirum typographicae societatis Draco cum litteris .A. M. A. Plagula superest vacua. Editio haec rara est, & in *Vocabulario* Academ. Furfur. nonnisi recentiores citantur.

ROMANORVM *Presbyterorum & Diaconorum*, *Epistola* ad S. Cyprianum, Romae 1471. Exstat cum illis S. Cypriani, v. *Cypriani*.

Rvfi (*Sexti*), *De historia Romana libellus* ad Valentinianum II. sub titulo, *de Regia, Consulari, imperialique dignitate & de accessione Romani Imperii*, Venetiis 1491. Exstat impressum hoc opusculum cum Plutarchi *Vitis Virorum illustrium* ex variorum interpretatione, v. *Plutarchi*.

SAB

Sabellici (*Marci Antonii Coccii*), *Vita* Pomponii Laeti, Venetiis 1500. Exstat impressa cum Pomponii *Historiae Romanae Compendio*, v. *Laeti*.

Sammonici, v. *Sereni*.

Savonarolae (*Hieronymi*), *Introductorium Confessorum*, sine typographicis notis in 8. min. Convenit omnino editio cum illa *Tractatus de Cambiis* Thomae de Vio descripta in T. II. col. 796. quodque de illa diximus huic pariter convenit. Signaturae a — p fasciculis adhaerent; titulus praecedit opellae, INTRODVCTORIVM *confessorũ Fratris Hieronymi Sauonarole Ferrariensis Ordinis predicatorum*. Desinit linea 14. ultimae paginae quae hisce constat verbis, *nedictus in secula seculorum*. *Amen*. Post trium linearum spatium legitur,

LAVS DEO. AMEN.

Saxii (*Pamphili*), *Carmina*, (Brixiae 1499) in 4. min. Exemplum hoc pluribus in principio & fine orbatur foliis, & incipit a fasciculo signaturae C desinitque in illo H. Numeri rom. min. signaturis inhaerent. Editio haec concinne executa fuit ab impressore qui rotundos nitidos elegit characteres & chartam politam. Distinxit paginas lineis 29. nec custodem aut fol. numerum imprimere curavit. Initiales vel parvis formis vel spatiis tantummodo indicavit, inscriptiones adposuit marginum superioribus oris; libram pro chartae signo repperi. Incipit exemplum nostrum a carmine *de Laudibus Veronae* cui praeest inscriptio, *Virgilio Zauarisio Veronensi*. cum metrico prologo. *Elegia* vigesima secunda absolvitur exemplar. Editio Brixiana illa videtur quae apud Maittairium T. I. pag. 707. occurrit, quamque Tiraboschius T. VI. pag. 947. *Storia della Letterat. Ital.* memorat, unica quippe, saeculi XV. saltem, videtur.

Pamphilus Saxius Mutinensis, Poeta celeberrimus praesertim in extemporalibus versibus fundendis, omnigenaque eruditione refertus, circa ann. 1455. lucem adspexit. Otii Litterarii solitudinisque amans in oppido quodam Veronensis territorii vitam ut plurimum ab strepitu & virorum frequentia procul duxit, & Principum aulas quamvis expetitus invisere, inque illis diversari, Matthaeo Bosso teste, recusavit. Brixiam cum Hieronymo Donato Urbis illius Rectore profectus est, ibique insigne memoriae argumentum praebuit; quo loco & anno denatus sit certe non constat, sed ex epigrammate Philippi Pellenerae coniicitur paulo ante 1519. e vivis fuisse ereptum. V. Tiraboschium loco cit. pag. 945. & seq.

Scholia in *Alexipharmaca* Nicandri, longiora, graece, sine typographicis notis, v. artic. *Nicandri*.

Scoti (*Ioannis*), *Commentarium* in *Sententiarum* Lib. I. Petri Lombardi, Venetiis 1490. Exstat cum *Sententiarum* textu, v. *Lombardi*.

—— Eiusdem, *Commentarium* in *Sententiarum* Lib. II., Venetiis 1490. Cum textu imprimitur, v. *Lombardi*.

Eius-

—— Eiusdem, *Commentarium* in *Sententiarum* Lib. III., Venetiis 1490. Iungitur Lombardi textui, v. *Lombardi*.

—— Eiusdem, *Commentarium* in *Sententiarum* Lib. IV., Venetiis 1490. Inseritur textus Petri Lombardi articulis, v. *Lombardi*.

Senensis (*Hugonis*), *Expositio* in Hippocratis *Aphorismos* & *Commentarium* Galeni in eosdem, Venetiis 1498. Exsat cum Hippocratis & Galeni textu ex graeco idiomate in latinum verso, v. *Hippocratis*.

Sereni (*Quinti*), *Sammonici*, *Liber medicinae* sive *Carmen medicinale*, Venetiis 1488. Exstar hoc poemarion cum Arati *Phoenomenis* a Caesare Germanico latine traductis excusum, v. *Arati*.

Q. Serenus Sammonicus, pater alterius Sereni Sammonici Gordiani iunioris praeceptoris, claruit sub Septimio Severo & Antonino Caracalla, a quo postremo inter coenam interemptus periit. Vir fuit doctissimus ingentemque Bibliothecam collegit quam filius Gordiano laudato dono dedit. Poemation medicinale quod plerique eidem tribuunt, filio adscribendum esse nonnulli putant. Ex Fabric. *Bibl. lat.* cum Ernest. Lib. III. Cap. V.

Sermonetae (*Alexandri*), *Commentarium* in *Consequentias* Rodulphi Strodi, Venetiis 1493. Exstat cum *Consequentiarum* textu, & aliis operibus variorum, v. *Strodi*.

Sfortiae (*Galeacii*), *Comitis*, *Oratio ad Venetos pro pace*, Romae 1475. Exstar cum *Margarita poetica* Alberti de Eyb, v. *Eyb*.

Galeacius Maria Sfortia, Francisci Ducis Mediolani filius, natus anno 1444. patri successit anno 1466., quumque tyrannidem potius exerceret, quam iusto imperio subditos populos regeret in Templo D. Stephani occisus est anno 1476.

Sidonii, *Epistola* ad S. Cyprianum una cum Maximo, Urbano & Macario scripta, & inter illas Cypriani excusa, v. *Maximi*.

Signis (*de*), *aquarum & ventorum*, graece, Venetiis 1497. Exstat hoc incerti auctoris opusculum, ur titulus indicat, in Vol. III. *Operum* Aristotelis descripto, v. *Aristotelis*.

Sirecti (*Antonii*), *Formalitates moderniores iuxta mentem Ioannis Scoti*, Venetiis 1489. Exstanr impressae una cum *Summulis Logicis* Petri Hispani & aliis variorum auctorum operibus, v. *Hispani*.

Antonius Sirectus, Ordinis Minorum Theologiae professor provinciae Turonensis, in Gymnasio Parisiensi opus hoc compilavir ut ex titulo iisdem praefixo adparet.

Sixti *PP. IV.*, *Regulae*, *Ordinationes & Constitutiones Cancellariae*, 1476. sine loci & typographi expressa notitia. Exstanr impressae cum illis Pauli II., v. *Pauli*.

Smyrnaeorvm, *Epistola* ad M. Brutum, latine, ex versione Rinucii Thettali, Florentiae 1487. Exstar cum illis M. Bruti excusa, v. *Bruti*, & conf. T. II. col. 953.

Strodi (*Rodulphi*), *Consequentiae* cum *Commentario* Alexandri Sermonetae; adcedunr *Declarativa* earumdem *Consequentiarum* Caietani de Thienis; item Pauli Pergulensis *Dubia*; item Strodi *Obligationes*, Richardi Ferebrich *Consequentiae*, & Caietani de Thienis *Expositiones* illarum, Venetiis 1493. in 4. min. duplici columna express. & charactere gothico non unius moduli. Lineis 52. minoris characteris, qui frequentior occurrit, coagmentatis formas integras pleniorum columnarum typographus concinnavit, marginesque instruxit inscriptionibus operum titulos indicantibus & signaturis a — q cum arab. notis, nam penitus omisit custodes plagularumque numeros. Initiales formis ligneis florentibus expressit; textum *Consequentiarum* Strodi sectionibus *Commentarii* inseruit; chartarius pileo obsignavit pa-

py-

pyrum. Tituli & subscriptiones cuiusvis operis notantur hoc pacto, *Rodulphi Strodi doctoris eximij consequentie feliciter incipiunt*. In fine, *Excellentissimi viri magistri Alexandri sermonete commentum super consequentijs Strodi p⁹ fratrem Mattheum campaniam de cherio ordinis minoꝝ accuratissime castigatū feliciter finit*. Reliqua pars *Consequentiarum* titulo & *Commentario* destituta subscriptionem refert, *Cōsequētijs eximij doctoris mag⁹ri Rodulphi Strodi: p⁹ fratrē Mattheū cāpaniā d⁹ cherio: sūmo cū labore correctis finis adest*. Caietani *declarativis* praefigitur titulus, *Incipiūt q⁹dā d⁹claratiua ꝯñaꝝ Strodi edita ab eximio philosophoꝝ mōarcha dño magr⁹o Gaietāo d⁹ Thienis artiū & medicīe doctore famosissimo*. Ad calcem legitur, *Expliciūt quēdā declaratiua ꝯñarum Strodi edita ab eximio philosophorum monarcha dño magistro Gayetano d⁹ Tienis: artiū & medicine doctore famosissimo: sūma cū diligētia per fratrē Matheū campaniam reuisa. Deo gratias*. Sequenti opusculo nulla praeit inscriptio sed in fine verba refert, *Ad laudē eius que pudicissime mūdo edidit dinm* (sic) *nostrū saluatorē. Expliciunt dubia edita per reuerēdū magistrum Paulum pergulēsē correcta per fratrem Matheū cāpaniā de cherio quē ille cuius dispontiōi* (sic) *oēs nos subiecti sumus. sui gratia & boītate optīe & beate regere & cōseruare dignet⁹. Laus deo*. Deinde *Incipiunt obligationes Strodi*, quae pro coronide haec verba impressa legenti offerunt, *Expliciunt obligationes Strodi. Habes diligentissime lector opusculū hoc obligatōum qd⁹ ex toto depranatū erat: correctū sūma diligētia p⁹ venerabiles religiosos. d. fratrem Augustinū venetū de restegonibus. & fratrem Thadeum valētē venetum ordinis seruorum obseruantie*. Postea *Ricardi Ferebrich consequētie feliciter incipiunt*, quumque has excipiat earumdem *expositio* Caietani, hac absoluta legitur minori typo expressa subscriptio huiusmodi, *Explicitū* (sic) *quedā vtilia super ꝯñtijs ferebrich anglici edita per Gaetanum de Tienis Deo gratias. Amen*. Ultima pagina impressa quae proxime adcedit registro & Octaviani Scoti symbolo, omnium notissimo, haec refert verba praefixa maiusculis elementis cusa, *Eximij doctoris domini Gaetani de Tiēnis in Consequentias Ferebrich expositionum Finis. Impressa fuerunt que in hoc volumine continentur per Bonetū Locatellū sūptibus Nobil⁹ Viri dñi Octauiani Scoti Ciuis modoetiēsis Venetijs. M.CCCC.LXXXXIII. Tertio idus Februarii*. Adcedit folium vacuum quo absolvitur volumen.

Svetonii (*Caii*) *Tranquilli*, *De claris Grammaticis & Rhetoribus*, Florentiae 1478. in 4. min. Non tam characterum rotundorum satis elegans modulus quam papyri optima qualitas hunc commendant libellum. Lineas 27. ut in tertia expertus sum insculpsit typographus paginis integris, sed nullum custodem vel fol. num. expressit. Signatura a occurrit cum num. rom. min. unico enim fasciculo 14. plagularum absolvitur. Initiales parvis elementis designantur, priores sectionum dictiones quadratis litteris constant; charta obsignatur, ut lucis ope detexi, balista & stella circulo singillatim insertis. Titulus qui in prioris paginae fronte occurrit & opusculo immediate praefixus, ita uncialibus litteris exprimitur,

C. SVETONII. TRANQVILLI.
DE GRAMMATICIS. ET RHE
TORIBVS. CLARIS. LIBER IN
CIPIT.

In fine autem libelli typographi industria notata fuere pro coronide istiusmodi verba,

NIL AMPLIVS. REPERITVR.

IMPRESSVM FLORENTIAE A
PVD SANCTVM IACOBVM DE
RIPOLI. MCCCCLXXVIII

TE-

TEB

TEBALDIS (*Aegidii de*), *Versio* ex hispanico *Quadripartiti* & *Centiloquii* Ptolemaei cum *Commentariis* Haly, Venetiis 1493. v. *Ptolemaei*.

THEODORICI *Archiepiscopi Moguntini*, *Statuta Synodalia*, sine certis notis typographicis. Exstant cum *Statutis* Ecclesiae Eystettensis, v. *Eystettensis*.

THEOPHRASTI, *De igne*, *de ventis*, & *de lapidibus*, graece, Venetiis 1497. Exstant in Vol. III. *Operum* Aristotelis, v. *Aristotelis*.

THETTALI (*Rinucii*), *Versio* latina *Fabularum* Aesopi & eius vitae per Maximum Planudem conscriptae, Mediolani 1474. v. *Aesopi*.

—— Eiusdem, versio latina *Epistolarum* M. Bruti & Hippocratis, Florentiae 1487. Exstant hae *epistolae* cum illis Diogenis a Francisco Accolto Arretino traductis, v. *Diogenis*.

THIENIS (*Caietani de*), *Declarativa Consequentiarum* Rodulphi Strodi, & *Expositio Consequentiarum* Richardi Ferebrich, Venetiis 1493. Exstant cum textu *Consequentiarum*, v. *Strodi*.

THOMAE (*S.*) *Aquinatis*, *Commentarium* in Boethium de *Consolatione philosophiae*, (Norimbergae) 1473. Exstat cum Boethii textu, v. *Boethii*.

—— Alia editio, in qua adcedit *Commentarium* eiusdem in opus Boethii *de disciplina Scholarium*, Lugduni 1499. v. *Boethii*. De huiusmodi *Commentariis* v. T. I. col. 389.

—— Eiusdem, *Commentarium* in *Evangelia*, Veneriis 1482. Exstat cum *Evangeliorum* textu, v. *Biblia*.

—— Alia editio, Venetiis 1493. v. *Biblia*.

—— Eiusdem, *Fallaciae*, & *Tractatus de ente & essentia*, Venetiis 1489. Exstant cum Petri Hispani *Summulis Logicis*, v. *Hispani*.

—— Eiusdem, *Commentarium* in Lib. IV. *Sententiarum* Petri Lombardi, Venetiis 1497. Exstat cum Lombardi textu, v. *Lombardi*.

—— Eiusdem, *Commentaria* in *Epistolas* S. Pauli, Venetiis 1498. Exstant cum *Epistolarum* textu, v. *Biblia*.

TORRELLAE (*Gasparis*), *Tractatus cum Consiliis contra pudendagram seu morbum gallicum*, Romae 1497. in 4. min. Pagina quaevis integra complectitur lineas 32. gothici characteris. Foliorum numeri desiderantur; signaturae occurrunt absque numeris in priori pagina cuiusvis fasciculi tantum, adeo ut primus illa careat, quod princeps eius pagina excepto titulo operis quem referr, inter impressas haud computari possit; series igitur est b — f nam sex fasciculis absolvitur opusculum qui omnes constant plagulis 24. Custodes typographus omisit licet primo intuitu fol. 18. & 22. rectis impressi videantur, nam quod postremis lineis ibidem subiectum visitur ad textus integritatem pertinet, nec in sequenti pagina iteratur. Litterae initialis sedem indicat spatium quadratum. Chartae albae & levigatae pro signo inhaereet cornu funiculis pendulum. In priori pagina, ut innuimus adest titulus, qui ita exprimitur,

Tractatus cum consilijs contra puden
dagram seu morbum gallicum

Nuncupatoria inscriptio praefigitur operi vel prooemio quae hoc pacto notatur, *Ad reuerendissimum & illustrissimum in xp°o patrem & d. d. Cesarem* de

de Borgia titulo sancte Marie noue diaconum Cardinalem Valentinum tractatus incipit de pudendagra seu morbo gallico editus a Gaspare Torrella ep⁹o sancte Iuste natione Valentino. In hoc prooemio notanda sunt huiusmodi verba quae historiam curationis huius morbi illustrant, *Quantum enim* (ad Valentinum loquitur) *tibi genus humanum obnoxium sit non est qui ambigat. nam tempestate tua ac tui causa morbus qui ab omnibus imaginabatur incurabilis in presentiarum non solum eius essentia verum etiam curationis modus cognoscitur*. Nec iniucunda scitu sunt quae infra de cantionibus aliisque huius generis in curatione aegrotorum adhibendis deque eorumdem efficacia tradít, licet enim haec parvi momenti videantur, nihilominus Medicorum opinionum historiam illustrare aliquatenus possunt. Tractatus desinit his verbis, *interim corrigam aliqua consilia particularia cum quibus a mense septembris usque ad mensem octobris inclusive huius presentis anni. M.cccc.lxxxxvij. decem & septem ab hac crudeli egritudine ad pristinam sanitatem perfectissime reduxi iussu R. do. mei Cardinal⁹ valentini quem deus protegat visitet atque defendat Amen*. Subditur tetrastichon his verbis, sed prosae more expressum hoc est non distinctis versibus, *Ut gaudere solet fessus iam nauta labore Desiderata diu littera* (sic) *nota vidēs Non aliter sc⁹ptor reuisa fine libel* (sic) *Exultat medio letus et ipse quidem*. Folio sequenti *Consilia* incipiunt sive curationes quinque virorum, scilicet Nicolai Minoris Valentini amici sui & Cardinalis Valentini familiaris aetatis annorum xxiv., anonymi annorum xlvi., iuvenis cuiusdam Longobardi aetatis ann. xxx. alterius anonymi, & Ioannis de Toleto familiaris Francisci Borgiae Episcopi Theanensis & Thesaurarii Pontificii. Desinit opus cum *Oratione* S. Damiani hoc pacto, *Superest ut oratio quam sanctus Damianus genibus flexis in omnibus potionibus per eum exibitis dicere solebat: finem claudat. cuius verba sunt ista. Omnipotens eterne deus: qui dedisti medicinam ad sanandas corporum humanorum infirmitates da benedictionem tuam sanctam de celo: super hanc medicinam ut in cuius corpore introierit: sanitatem mentis & corporis suscipere valeat per cristum dominum nostrum qui vivit & regnat in secula seculorum Amen. Si qui vero faceret dicere hanc orationem ab aliquo devoto presbitero dicta missa pro infirmo super medicinam suscipiendam in presentia infirmi virtutes medicine augerentur & celerius curaretur infirmus*. Accedit *Finis*, deinde typographus notavit, *Impressum Rome per magistrum Petrum de laturre Anno. M.cccc.lxxxxvij. Die xxij. Nouembris. sedente Alexandro sexto Pontifice maximo*. Folium superest vacuum. Cl. Marinius *Archiatri Pontifici* Vol. I. pag. 263. Gasparis Torrellae Libros aequae ac illos Petri Pintoris rarissimos vocat, adeo ut mirum non sit, ipsi & diligentissimo Audiffredo editionem hanc ex aliorum relatione tantum innotuisse; memorat illam Astrucius in Libro *de morbis venereis* velut existentem in Bibliotheca Regis Galliae & Mazariniana, ex eoque auctores laudati notitiam editionis hausere sed mirum est ab Marinio octo plagulis constare, & ab Audiffredo sex quemadmodum in Astrucio legi, adseri, quum revera 24. folia cum *Consiliis* occupet; quae *Consilia* a *Tractatu* minime separari possunt, ultima enim pagina *Tractatus* adhaeret primae *Consiliorum*, nec minus quam decem foliis cum dimid., neglecta priori plagula tituli, tractatus impleat; unde non abs re Audiffredus de hoc numero 6. dubitans addidit (sic). Secunda opusculi editio sine typographicis notis non tantum Astrucio sed & Marinio & Audiffredo laudatis innotuit, alter enim in Bibliotheca Lancisiana, alter in Casanatensi vidit; primus vero ad Besickenium referendam esse opinatur, se-

secundus ad eumdem Petrum de la Turre pertinere autumat.

—— Eiusdem, *Dialogus de dolore cum tractatu de ulceribus in pudendagra evenire solitis*, Romae 1500. in 4. min. Triginta sex lineis gothici characteris compositae fuere plenae paginae huius operis. Initiales florentibus ligneis formis expressit typographus qui signaturas a—h cum num. rom. min. insculpsit inferioribus marginibus, omissis prorsus custodibus & fol. numeris. Charta obsignatur ansere circulo inscripto, cornu funiculis pendulo, & equo. In priori pagina maiusculis litteris haec notantur,

Dialogus de dolore
cum tractatu de
vlceribus in
pudēdagra
euenire
solitis.

Folio secundo recto adest nuncupatoria epistola qua *Illustrissimo ac virtuosissimo domiō. D. Cesari borgia de francia duci Valeñ. Sancte Romane ecclesie ganfaronario* (sic) *āc generali Capitano: Gasper torrella Episcopus sancte Iuste: natione Valentinus: Salutem*. Haec epistola quum scitu non inutilia contineat & ob libelli raritatem paucis innotescere possit, mihi digna visa est ut integra hic referatur, neglectis compendiariis notis. *Quamquam elapsis diebus illustrissime Dux & domine Tractatum de pudendagra iussu tuo & composuerim & imprimere fecerim: tamen quia ut aiunt: facile est inventis addere: tum etiam quia impressoris negligentia nonnulla pretermissa: et aliqua incorrecta impressa fuerant: Istis de causis duos tractatus contra duo seva accidentia hunc morbum concomitantia: qui pro vera & completa pudendagre cura necessarii quam maxime iudicio meo erant nuper compilavi, et sic omnes uno volumine imprimendos fore opere precium duxi: fuit enim mihi semper animo & quo ad vires potui conatus sum assequi: ut de posteris bene merer:* (sic) *insuper quantum excellentia apud. S. D. N. ac summos reges valeas: nemo est qui ambigat: Ceterum non modo magnates: nobiles: proceresque. verum etiam omnis populus: omnesque marciales: ob tuas acumulatas virtutes: tuumque preclarum ingenium: prudenciam: liberalitatem: ac iusticiam: te summo amore prosequuntur. Et ut aiunt iusticiam Bruti: constanciam Mucii: continenciam Cipionis* (sic) *: fidelitatem Martij reguli. ac magnanimitatem Pauli emilij sueperare* (sic) *videris: quare non abre dicere possum quod tu es unus qui nostrum exornas seculum: unus inter principes doctus & litterarum cultor: unus litteratissimus: unus in armis peritissimus: unus qui domi bellique magnus evo nostro videri possit: unus qui ecclesie libertatem et auctoritatem dilucidas & auges: que omnia ut te amarem diligeremque et ad te has meas lucubraciones dedicarem: me irritarunt. quando vero in tantis arduis tibi inducie dabuntur: eos legere non ortor* (sic) *solum: sed plane etiam oro. nam in eis quamplurima aduotavi digna comperies demum nutu tuo imprimendos fore: ac publicandos spero Miraberis insuper cum sim episcopus: qui speculator dicitur neglecta comissione mihi iniuncta litteris apollineis adeo affectatissime operam dem: adeoque incumbam medicine ac medicos non solum diligam sed amem colamque admirari profecto minime debes: nam genitor meus medicus fuit: cuius memoria ob huius artis eximiam peritiam sempiterna erit. insuper sumus hac tempestate tres germani ab eodem patre nati in eadem facultate doctores: inter quos ipse minimus sum quapropter a teneris unguiculis ut ita loquar et abineunte etate artem istam & eius professores dilexi: et non ab re: nam ultra raciones predictas: medicos complurimos in vitis sanctorum canonizatos et ab ecclesia approbatos comperio. Inter quos vide Lucam medicum clarissi-*

ſimum: Coſmum: Damianum: Pantaleonem: Baſilium: Urſinum: (Urſicinum) *Ioannem Damaſcenum*. (confundit Ioannem Damaſcenum Medicum cum Ioanne Damaſceno Presbytero Sanctorum faſtis adſcripto) *et alios quamplurimos quos in preſentiarum ſilentio pretereo. quare non immerito et amandi medici et teste Salamone venerandi ſunt. quid ſi antiquos medicos commemorem. ut Apollinem primum medicine repertorem quid filium eius Stulapium* (ſic) *quam doctrina & opere ampliavit. quid Iucomacum* (Nicomachum) *Ariſtotelis patrem Alexandri imperatoris medicum excellentem. quid Carneadem atheniensium medicum qui in omnibus ſuis diſputationibus Ellebero* (ſic) *utebatur. demum conſpice huius medici mirandum ingenium. Heſiſtratus* (Eraſiſtratus) *medicus illuſtris pulſu cognovit amantem. nam teste Valerio qum Antiochus ſeleuchi: noverce ardenti atque fragranti* (ſic) *amore langueſceret: ab Heſiſtrato medico ſanatus eſt. et hoc quidem modo: pulſum eius modo vegeſtiorem* (ſic) *modo languiorem* (ſic) *ſenciens ſecundum noverce acceſſum et receſſum. hoc medicus caute patri indicavit qui caram couiugem filio tradere minime dubitavit. adducerem multa alia medicorum inſignia: ſi putarem te non tedio afficere. Quibus de cauſis non ſolum ut ab inceptis non deſiſtam me ortaberis. verum etiam tu medicos exinde toto corde amabis diligeſque; Vale*. Folio tertio recto *Incipit tractatus de dolore in pudendagra euenire ſolito: editus a Gaſpare torrella Ep^{o}o ſancte Iuste natione Valentino ac. S. d. n. Alexandri ſexti Pontificis maximi prelato domeſtico ac medico*. Praemittitur *Dialogo*, in quo *vulgus* & *Medicus* loquuntur, prooemium eidem coniunctum quodque initio haec refert, *Superioribus annis quando Rome eſſem humano generi compatiens tractatum de pudendagra compoſui. in quo de dolore quando aliquid ocii mihi concederetur pollicitus ſum ſcribere: in preſentiarum vero peregrinando tecum illuſtriſſime Ceſar borgia de francia dux Valentiue. qui curiam criſtianiſſimi Lodovici francorum regis ſequebaris. Anno milleſimo quadricenteſimo nonageſimo nono in oppido Bleſenſi propter aliquam aeris peſtiferi ſuſpicionem per totam quadrageſimam moram traximus. ibique ne mens mea ocioſa deliciis vileſceret et ab aſſueta contemplatione deſiſteret: decrevi licet cum maxima difficultate debitum perſolvere*. Et inferius de variis huius morbi adpellationibus ita loquitur, *Dico quod in Italia morbus gallicus appellatur hac de cauſa. Nam gallis manu forti Italiam ingredientibus et maxime regno Parteno-peo occupato et ibi commorantibus hic morbus detectus fuit idcirco ab Italis morbus gallicus cognominatus fuit ymaginantibus ipſum gallis connaturalem fore. In gallia vero quia in reverſione Regis Karoli cum ſuis in galliam hic morbus apparere incepit credentes eum ex Neapoli apportaſſe hanc ob cauſam morbum Neapolitanum vocarunt. Valentini: Catalani: et Aragonenſes poſt longam librorum indagationem ipſum morbum Sementi vocarunt eo quia in duodecimo libri xp^{9}iani* (Creſtia) *edito a magiſtro franciſco ximenes ſcriptum invenerunt ſimilem morbum alias orbem invaſiſſe ſed iſti non parum a veritate deviant. nam hic morbus de quo in ſupradicto libro fit mentio in regno francie et uſitatus et antiquus eſt. nam ſicut lepra a ſancto Lazaro vulgus eam morbum ſancti Lazari vocat hoc eodem modo galli malum mortuum morbum ſancti Sementi appellant eo quod eius auxilio implorato complurimi curantur........... In ulteriori vero Hyſpania morbum curialem vocant quia curiam inſequitur........ Pariſius et in aliquibus magnis Civitatibus francie a litteratis groſſa variolla hic morbus appellatur* &c. Quum morbus hic detectus in Italia fuerit teſte Torrella eo tempore quo Galli eam invaſerunt, ſcilicet circa medium annum 1494. opinio-

nioni viri Cl. & mei amicissimi D. Christiani Gothfridi Gruneri huius auctoritas suffragatur, qui morbi originem a Maranis sive Mauris repetit. Infessura quippe tradit iam ab anno 1492. & 1493. pestem quamdam in Italia grassatam esse, eodemque tempore Maranos ex Hispania pulsos Italiae fines intrasse, Romae ante Portam Appiam substitisse urbem clam ingressos. Gallorum itaque copiis paulo postea supervenientibus corporum miscendorum copia facta virus communicari potuit, sicque ut Cl. viri utar verbis contagii venerei nascentia pertinet ad Maranos, subita propagatio ad milites, adeo ut tunc innotuisse & detectum esse scriptores dixerint, propagatione morbi manifestissima pro origine morbi minus nota sumpta. Sed ad libelli descriptionem redeundum est. Absoluto *Dialogo* ad calcem eiusdem quaedam salutaria monita ad morbum extirpandum hominesque servandos exstant, inter quae notandum, quod de mercuriali unguento refert a Cl. Marinio iam observatum, *cum quo unguento* (inquit) *complurimos decepit ille qui mihi in maximo secreto dedit asserens se perfecte cardinalem sogobricensem qui proculdubio non diu vivet et nam cum hoc vnguento eum marasmavit. Alii vero eniunctoria* (emunctoria) *tantum ungebant cum hoc vnguento mirabilia pollicentes vtinam dominus Alphonsus de Borgia & eius frater causam suam agere possent de tam accelerata morte hic enim temerarius penas lueret;* addit receptam illius unguenti a prefato Alphonso acceptam. Haec Marinius erudite illustrat quem sis consule. Deinde *Tractatus* incipit brevi nuncupatoria epistola praevia cum hac inscriptione, *Illustrissimo domino Cesari* (sic) *Borgia de francia duci Valentino ac ecclesie Gonfarouerio & capitaneo generali Gaspar torrella natione Valētinus Episcopus sancte Iuste. Sanctitatis domini nostri Alexandri sexti prelatus domesticus ac medicus salutem.* Titulus operi praefixus istiusmodi est, *Incipit tractatus dᵓ aliquibᵓ vlceribus īpudēdagra euenire solitis editus a mrᵒo Gaspare torrella Epᵒo sctē Iuste.* In fine typographica notitia legitur hoc pacto, *Finit libellus comprendens* (sic) *veram & completam curā pudēdagre editus a magistro Gaspare torrella Episcopo sancte Iuste natione Valentino qui fuit completus Rome prima die Martij. M. ccccc. Impressus Rome die vltima Octobris. Per Ioannem Besicken & Martinum de Amsterdā. Sedente Alexandro sexto Pontifice Maximo.* Emendationes sphalmatum typographicorum accedunt quae paginam cum dimid. implent, hisque vacua adhaeret. Editionem hanc Marinius laudatus & Audiffredus oculis usurparunt, sed primus volumen in 8. & 60. foliis constans adserit, secundus folia 52. numerat & in 4. expressum dicit; adeo ut cum Marinio quod spectat ad numerum foliorum, & cum Audiffredo circa libri formam convenire debeamus.

Gaspar Torrella Valentinus, Medici celeberrimi filius, duorumque eiusdem professionis virorum frater, Medicus ipse Alexandri VI., & Episcopus S. Iustae in Sardinia ab anno 1494. ad 1519. vel 1520. nam prope id tempus obiisse videtur. Circa vitam resque gestas huius Episcopi praeter ea quae ex verbis ipsius adlatis colliguntur consulendus est Marinius qui accuratissime & eruditissime de illo disserit. Ex aliis operibus saec. XVI. impressis quae laudatus auctor memorat, in nostra Biblioth. tria exstant, quae licet ad Catalogum hunc minime pertineant, ob eius raritatem saltem memorare operae pretium censeo. I. *Consilium de peste* editum ab auctore anno 1504. & Romae impressum ab Ioanne Besicken, cuius in priori pagina legitur, *Qui cupit a peste non solum preservari sed & curari hoc legat consilium.* Typographus Ioannes, Petrus dicitur apud Marinium, quod recentis excusoris

sphalma iudico. II. *Consilium de egritudine pestifera et contagiosa Ovina*, Romae per Ioannem Besicken. III. *Pro regimine sanitatis de loculentis* (sic) *et poculentis Dialogus*, Romae 1506. per eumdem Besicken. De aliis duobus Gasparis Torrellae opusculis quae Marinius indicat, ex aliorum traditione, mihi silere quemadmodum ipsi liceat quod nunquam in illa inciderim.

Trallianorvm, *Epistolae* IV. ad Marcum Brutum, ex latina Rinucii Thettali versione, Florentiae 1487. Exstant impressae cum illis eiusdem Bruti, v. *Bruti*.

Trismegisti (*Hermetis* sive *Mercurii*), *Asclepius*, Apuleio interprete, Vicentiae 1488. Exstat huiusmodi versio excusa cum aliis *Operibus* eiusdem Apuleii, v. *Apuleii*.

—— Eiusdem, *Centiloquium*, latine, Stephano de Messana interprete, ut ex editione in T. II. col. 716 descripta comperi; item eiusdem *de stellis beibeniis*, latine pariter, Venetiis 1493. Exstant cum Ptolemaei *Centiloquio*, & aliorum operibus, v. *Ptolemaei*.

Tvdertini (*Antonii*), Versio latina ex Plutarchi graeco idiomate Vitarum Agesilai, Agidis & Cleomenis, Fabii Maximi, Marcelli, Pelopidae, Pompeii, & Thimoleontis, Venetiis 1491. Exstant cum aliis Plutarchi *Vitis* ex diversorum interpretatione, v. *Plutarchi*, & conf. T. II. col. 726. ubi quamlibet vero interpreti restituere curavimus.

Tyburtini (*Platonis*), Versio latina ex arabico *Propositionum* Almansoris, Venetiis 1493 Exstat cum Ptolemaei libro *Quadripartiti*, v. *Ptolemaei*.

VAL

Vallae (*Laurentii*), versio latina ex graeco idiomate *Historiarum* Herodoti Halicarnassei, Venetiis 1474., v. *Herodoti*.

—— Eiusdem, *Elegantiae latinae linguae* in compendium redactae opera Boni Accursii Pisani, Venetiis 1481. Hanc epitomam artic. auctoris descripsimus, v. *Pisani*.

—— Alia editio, Senis 1487., v. *Pisani*.

Vrbani, *Epistola* ad S. Cyprianum una cum Maximo, Macario & Sidonio scripta, Romae 1471. Exstat impressa haec epistola cum illis Cypriani, v. *Cypriani*.

WIL

Willhelmi *Eystettensis Episcopi*, *Statuta Synodalia*, sine certis notis typographicis. Haec *Statuta* superius descripsimus col. 75. ubi de Typographo Michaeli Reysero qui ab eodem Episcopo Willhelmo codicem *Statutorum* postulavit & imprimendum obtinuit egimus, & aliam editionem quae pro Michaelis Reyseri nomine illud Matthiae Walcher refert indicavimus, v. *Eystettensis*.

ZAH

ZAHELIS, *De interrogationibus*, *de electionibus*, & *de temporum significationibus in iudiciis*, Venetiis 1493. Opuscula haec latine traducta impressa exstant cum aliis operibus quorum auctores Ptolemaeus, Hermes Trismegistus, Bethem, Almansor, & Messahallach. Varii sunt latini interpretes ut suis locis diximus, sed cum nonnullis aliis tum istis Zahelis opusculis nullum praefigitur interpretis nomen, v. *Ptolemaei*.

F I N I S.

1210280

SY-

SYNOPSIS CHRONOLOGICA

Editionum in hoc Catalogo descriptarum quae anni notam impressam referunt. In qua plurima ad externam Voluminum faciem, typographicam artem &c. spectantia, quum primum in illis nobis reperisse contigerit adnotavimus.

Annum a Kalendis Ianuar. auspicati sumus, quamvis non unus illum incipiendi mos viguerit in variis Urbibus & locis ubi descripta volumina impressa fuere. Litteram A T. I., B. II., C. III., numeri autem arabes columnas indicant.

1459

M*Oguntiae*) *6. Octobris*. Guillelmi Duranti, *Rationale Divinorum Officiorum* A 630. (In hac editione primo adparent annus & dies impressionis, verbisque notantur numeri, latina lingua, nomina expressa Typographorum, character medius inter gothicum & romanum, binae columnae, spatia quadrata pro initialibus, tituli rubricati impressi, omissio numerationis sectionum & capitum, nominis auctoris operis & loci impressionis, membrana, eiusdemque forma folii maximi).

1462

Moguntiae 14. *Augusti*, *Biblia*, latine A 323. (In hac primo adparent characteres gothici elegantissimi, distinctio voluminum, Typographorum insignia, loci expressa notitia & nota chronologica numeris, & quidem romanis indicata).

1467

(*In Monasterio Sublacensi*) 12. *Iunii*. S. Augustini, *De Civitate Dei* C 15. (In hac primo occurrunt charta eiusque forma folii magni vel maioris, artificis chartarii signum, tabula rubricarum, omissio nominum typographorum & titulorum, numeri romani qui capita indicant, nomen auctoris, Indictionis expressio, nomen principis localis, scilicet Pontificis Romani, & Principis extra ditionem, scilicet Imperatoris, in subscriptione typographica).

1468

Romae. S. Augustini *De Civitate Dei* A 222. (In hac primo omittitur impressionis dies, paginae longis lineis exprimuntur, character romanus vel rotundus adparet, domus in qua executa fuit notatur).

—— *Romae*. Lactantii *Opera* C 93. (In hac primum graecae dictiones propriis characteribus reperiuntur excusae, subscriptio typographica metrica occurrit & forma chartae folii communis adparet).

—— *Romae* 5. *Decembris*. M. Tullii Ciceronis, *De Oratore* A 536. (In hac primo adparent forma duplex characteris, gothici scilicet & romani, omissio graecorum elementorum nullo relicto spatio iisdem adponendis, ut videre est fol. 55. recto, & forma chartae in 4. magno).

—— *Romae* 13 *Decembris*. S. Hieronymi, *Tractatus & Epistolae* A 773. (In hac editione primo occurrunt praefatio nuncupatoria correctoris absque epigraphe, & Operum tabula).

1469

Venetiis. M. T. Ciceronis, *Epistolae ad familiares* A 525. (In hac primo occurrunt spatia pro graecis dictionibus & membrana in fol. parvo).

—— *Venetiis*. C. Plinii Secundi, *Historia Naturalis* B 374. (In hac primo occurrunt graecae dictiones latinis characteribus notatae).

—— *Romae*. M. Annaei Lucani, *Pharsalia* B 97. (In hac primo charta in fol. min. adparet).

—— *Romae* 12. *Ianuarii*. M. T. Ciceronis Libri *de Oratore* &c. A 537.

—— *Romae* 28. *Februarii*. Apuleii, *Opera* A 137.

—— *Romae* 1 *Aprilis*. M. T. Ciceronis, *Tusculanae Quaestiones* A 544.

1470

Fulginei. Leonardi Bruni Arretini, *De bello Italico adversus Gothos* A 420. (In hac primo adparet chartae promiscua forma scilicet in 4. & fol. parvo).

—— *Norimbergae*. Ioannis Gersonis, *Opusculum super Cantica Canticorum* C 83. (In hac primo adparent characteres gothici germanici pingues, forma chartae in fol. parvo & nota chronologica breviata).

—— *Norimbergae*. Francisci de Retza, *Comestorium vitiorum* B 449.

—— *Venetiis*. M. T. Ciceronis, *Epistolae ad Brutum*, *Q. Fratrem & Atticum* A 523.

—— (Venetiis) T. Livii *Historiarum Decades I. III. IV.* B. 83.

—— *Romae*. S. Hieronymi, *Tractatuum & Epistolarum* Vol. I. A 775. (In hac primo nomen & epigraphe correctoris epistolae praefigitur, & notatur Urbis via in qua Typographus opus excudit).

—— *Romae*. Lactantii *Opera* B 42.

—— *Romae*, S. Leonis P. P. I. *Sermones & Epistolae* C 99.

(*Au-*

—— (*Augustae Vindelicorum*) 4. *Kal. Iulii*. Flavii Iosephi *Antiquitates Iudaicae* Lib. XX., Rufino Aquileiensi interprete B 15. (In hac dies impressionis primum per Kalendas notatur).
—— *Romae mense Sextili, sive Augusti*. C. Svetonii Tranquilli *Vitae XII. Caesarum* B 624.
—— *Romae 3. Augusti*. M. Fabii Quintiliani *Oratoriae Institutiones* B 432.
—— (*Augustae Vindelicorum*) 10. *kalend. Septemb.* Flavii Iosephi, Lib. VII. *de bello iudaico*, Rufino interprete B 16.
—— *Romae 4. Octobris*. Ioannis de Turrecremata *Expositio in Psalterium* B 731. (In hac primo occurrit registrum & quidem constans prioribus dictionibus cuiusvis folii recti suturam fasciculi praecedentis).

1471

Leonis Baptistae Alberti, *De amore & amoris remedio* A 36. (In hac primum tituli uncialibus litteris expressi & chartae forma in 4. min. adparent).
—— M. Tullii Ciceronis, *Epistolae ad familiares* A 525. (In hac primo parvae litterae pro initialibus adparent).
—— Hugonis de Novo Castro, *Tractatus de victoria Christi*; adcedit Nicolai de Cusa *Coniectura de ultimis diebus Mundi* C 88. (In hac primo adparent characteres semigothici).
—— C. Plinii Caecilii Secundi *Epistolae* B 373. In hac primo chartae forma in 4. communi & editoris prooemium adparent).
—— (*Augustae Vindelicorum*). Guidonis de Monte Rocherio. *Manipulus Curatorum* B 213. (In hac primo adparent initiales litterae uncialibus formis expressae, & una xylographica florens).
—— *Romae*. S. Cypriani, *Epistolae* C 63.
—— *Romae*. Ioannis Tortellii, *Commentaria grammatica de orthographia dictionum e graecis tractarum* B 707. (In hac primum subscriptio quadratis & communibus elementis lineis alternatis exprimitur).
—— *Romae* Laurentii Vallae, *De elegantia latinae linguae* B 753. (In hac primum impressoris nomen siglis notatur).
—— *Tarvisii*. Phalaridis *Epistolae*, e graeco latine versae a Francisco Accolto Arretino B 324. (In hac primo chartae forma in 8. maiori reperitur).
—— *Venetiis*. Leonardi Bruni Arretini, *De bello Italico adversus Gothos* A 421.
—— (*Venetiis*). S. Cypriani *Epistolae* A 586.
—— (*Venetiis*), Lactantii *Opera*, B 43.) In hac primo Urbs impressionis non proprio nomine sed per antonomasiam adpellatur).
—— (*Venetiis*). Plutarchi *Apophthegmata Laconica*, Francisco Philelpho interprete B 387.
—— *Venetiis*. Ioannis Tortellii, *Commentaria grammatica de orthographia dictionum e graecis tractarum* B 708. (In hac primum integra notitia typographica vel subscriptio quadratis exprimitur litteris).
—— *Venetiis*. Laurentii Vallae, *De elegantia latinae linguae*, & *de ego mei tui & sui* B 754. (In hac primo occurrunt alphabetica tabula & chartae forma in 4. max.).
—— *Augustae Vindelicorum 3. idus Ianuarii*. Roderici Zamorensis, *Speculum vitae humanae* B. 837. (In hac primum characteres gothici maiusculi adparent omnino)
—— *Romae 5. Aprilis*. Silii Italici, *Punicorum libri* B 586. (In hac primo adparet correctoris nomen in subscriptione typographica).
—— (*Venetiis*) *21. Maii*. M. Fabii Quintiliani *Oratoriae Institutiones* B 433.

—— *Moguntiae 18. kal. Iulii* Valerii Maximi *Factorum & dictorum memorabilium* B 745.
—— *Romae 20. Septembris*. M. Tullii Ciceronis *Quaestiones Tusculanae* & alia eiusdem opera A 545.
—— *Kalendis Octobris*. *Biblia*, italice, A 343. (In hac primo occurrunt italica lingua, inscriptiones in superioribus marginibus & chartae forma in fol. max.)
—— *Florentiae 7. idus Novembris*. Mauri Servii Honorati *Commentarium* in *Bucolica* Virgilii B 578 579.
—— *Romae 18. Novembris*. Nicolai de Lyra, *Postillarum* in *Biblia* Vol. I. B 108.
—— *Florentiae 5. idus Ianuarii*. Mauri Servii Honorati, *Commentarium* in *Georgica* Virgilii B 578. 579.

1472

Catulli, Tibulli & Propertii, *Carmina*. A 496.
—— *Bononiae*. Diodori Siculi, *Historiarum* Libri, Poggio Bracciolino interprete A 608. (In hac primo aliquod adparet vestigium numerorum arabum in duobus postremis chronologicae notae).
—— *Ferrariae*. Gerardi Cremonensis *Theorica Planetarum* A 579. (In hac primo spatia pro schematibus, & notae arabes occurrunt).
—— *Ferrariae*. Ioannis de Sacrobosco *Sphaera Mundi* B 467.
—— *Fivizani*. P. Virgilii Maronis, *Bucolica*, *Georgica*, *& Aeneis* cum *Supplemento* Maphaei Vegii. B 797.
—— *Romae*. Oldradi de Laude, *Consilia* C 98.
—— *Romae*. Nicolai de Lyra, *Postillarum* in *Biblia* Vol. V. B 109. (In hac primo adparet Catalogus librorum unius Typographiae cum numero exemplarium excusorum).
—— (*Venetiis*). Appiani Alexandrini, *de bellis civilibus Romanorum* & *Illyrius* & *Celticus*, Petro Candido interprete. A 131.
—— *Venetiis*. Ioannis Boccaccii, *Genealogia Deorum* A 377. (In hac primo auctor indicis vel tabulae memoratur).
—— *Venetiis*. M. T. Ciceronis, *Tusculanae Quaestiones* A 545. (In hac primum forma membranae in 4. maiori adparet).
—— *Venetiis* Macrobii Aurelii Theodosii, *Expositio in Somnium Scipionis*, & *Saturnalia* B 113. (In hac primo notatur cuius expensis volumen cusum fuit).
—— (*Venetiis*). Francisci de Platea, *Opus restitutionum, Usurarum & Excommunicationum* B. 357. (In hac primum margines externae impressis notis numericis refertae visuntur).
—— *Venetiis*. M. Accii Plauti, *Comoediae* B 369.
—— *Venetiis*. C. Plinii Secundi, *Historia Naturalis* B 375 (In hac primum nuncupatorium prooemium vel epistola, non initio vol. sed ad calcem occurrit).
—— *Venetiis*. Strabonis, *Geographia*, Guarino Veronensi & Gregorio Tifernate interpretibus. B. 619.
—— *Veronae*. Roberti Valturii, *Rei militaris Libri*. B. 759. (In hac primo occurrunt figurae ligno incisae, & hae instrumenta bellica repraesentant).
—— (*Patavii*), Ioannis Boccaccii, *Flammetta*, italice. A 380.
—— *Romae 26. Maii*. Nicolai de Lyra, *Postillarum* in *Biblia* Vol. II B. 109.
—— *Moguntiae Idibus Augusti*. Gratiani *Decretum* cum *Glossis* Bartolemaei Brixiensis. A. 743. (In hac primo occurrunt, duplex characteris eius-

eiusdem qualitatis moles, paginae textus a *Commentario* circumdatae, in subscriptione typographica nomen Romani Pontificis viventis extra ditionem suam).

—— *Florentiae nonis Octobris*. Mauri Servii Honorati, *Commentarium* in *Aeneida* P. Virgilii Maronis, & opusculum *de natura syllabarum* ad Aquilinum B 578. 579. 580. Editio ista unum efficit volumen cum *Commentariis* in *Bucolica* & *Georgica* anno praecedenti impressis. (In hac primum notatur ad fidem plurium Codd. mss. opus correctum fuisse).

—— *Patavii 6. Novembris*. Francisci Petrarchae *Carmina italica* B 309. (In hac primum occurrunt operis princeps pagina characteribus quadratis omnino expressa, margines, scilicet superior & inferior, ornamento ligneo praeditae, & figurae humanae sculptae; item prima adparet ex originali codice sumpta).

—— *Venetiis 20. Novembris*. Ioannis Boccaccii, *Filocolò* A 382. (In hac primo occurrit pagina iterato excusa).

1473

Alchabitii, *Introductorium ad scientiam iudicialem astronomiae* A 56.

—— *Mantuae*. Petri de Abano. *Tractatus de venenis*, Arnaldi de Villanova *de arte cognoscendi venena*, & Valasti de Tarenta *de Epidemia & peste* A 1. (In hac primum nuncupatorius prologus sine nomine expresso illius ad quem dirigitur, & chartae forma in 4. parvo occurrunt).

—— *Patavii*, Petri de Abano, *Tractatus de venenis* C 1.

—— *Patavii*, Francisci de Platea, *Opus restitutionum*, *Usurarum & Excommunicationum* B 357. (In hac primo reperiuntur signaturae, & hae non in toto volumine nec simul cum pagina sed extra prelum cusae, litterae unciales & minores notaeque arabes ad illas exprimendas adhibitae, earumque locus in extremitate marginum; item subscriptio typographica ab alio impressore sumpta nominibus immutatis).

—— *Venetiis*. S. Antonini, *Summula Confessionis* A [illegible]

—— (*Venetiis*). Roberti Caraccioli, *Opus Quadragesimale* A 468.

—— *Venetiis*. Ioannis de Gandavo, *Quaestiones super tres libros de anima* Aristotelis A 721.

—— *Venetiis*. C. Iulii Solini, *De situ & mirabilibus Orbis* B 596.

—— *Venetiis*. Leonardi de Utino, *Sermones Quadragesimales de legibus* B 827.

—— *Venetiis idibus Ianuarii*. Ioannis Boccaccii, *De montibus, sylvis, fontibus, lacubus* &c. A 380.

—— *Romae 7. Maii*. C. Plinii Secundi *Historia Naturalis* B 376. (In hac primo notatur dies hebdomadae in subscriptione typographica).

—— *Bononiae 11. Martii*. Petri de Bergomo, *Tabula Operum S. Thomae Aquinatis* A 294.

—— 27. *Iunii*. Aegidii Romani, *De regimine principum* C 5.

—— *Romae 6. Iulii*. Clementis PP. V. *Constitutiones* cum *Apparatu* Ioannis Andreae A 556.

—— *Norimbergae 24. Iulii*. A. M. T. Sev. Boethii, *De consolatione philosophiae* cum germanica versione, & latino *Commentario* S Thomae Aquinatis C 45. (In hac primo occurrunt, duo idiomata, lingua germanica, spatia interlinearia non unius latitudinis, versio cum textu, eademque inserta alternatim sectionibus eiusdem, duplex ratio paginarum longis scilicet lineis & duabus columnis, & *Commentaria* a textu seorsim expressa).

—— (*Patavii*) 5. *Octobris*. S. Thomae Aquinatis, *Summae Theologiae* P. I. B 684. (In hac primo occurrunt signaturae universaliter fasciculis adpositae, sed ut in editione operis Francisci de Platea descripti eiusdem anni expressae, & earumdem pars numeris tantum arabicis notata).

—— *Romae 16. Octobris*. *Ars metrica* A 210. (In hac primum falsa nota chronologica adparet).

—— *Romae 27. Novembris*. *Mahammedis II. Epistolae*, Laudivio interprete B 121.

—— (*Venetiis*) 30. *Novembris*. Nicolai de Auximo, *Supplementum Summae Pisanellae* C 21. (In hac primo hora qua impressio absoluta fuit notatur).

1474

Matthaei Silvatici, *Liber Pandectarum Medicinae* B 589.

—— Leonardi de Utino, *Sermones de Sanctis* B 829.

—— *Mediolani*. Aesopi, *Fabulae & vita*, Rinucio Thettalo interprete C 5.

—— (*Patavii*). Ioannis Scoti, *Commentarium* in Lib. II. *Sententiarum* B 561. (In hac primo adparet signaturarum pars in margine externa, sed circa modum impressionis conveniunt cum illis quae occurrunt primae in opere Francisci de Platea descripto ad ann. praecedentem).

—— *Venetiis*. S. Antonini, *Summae* P. II A 114.

—— *Venetiis*. Nicolai de Auximo, *Supplementum Summae Pisanellae* C 21.

—— *Venetiis*. Nicolai de Auximo, *Supplementum Summae Pisanellae* C 22.

—— *Venetiis*. Domitii Calderini, *Commentaria in Martialem* A 445. (In hac primo signaturae suo loco sub ultima linea immediate & a praelo cusae inveniuntur).

—— *Venetiis*. Herodoti, *Historiarum Libri*, Laurentio Valla interprete C 85.

—— *Venetiis*. P. Ovidii Nasonis, *Opera* B 262.

—— *Venetiis*. Valerii Maximi, *Dictorum factorumque memorabilium* libri B 748.

—— *Ulmae*. Alberti Magni, *Summa de Eucharistiae Sacramento* C 6. (In hac primo adparent numeri foliorum, qui romani sunt & in medio marginis superioris exstant, & initiales vacuae lineares sive duplici linea expressae).

—— *Bononiae 20. Martii*. M. Manilii *Astronomicon* & Arati *Phoenomena*, Caesare Germanico interprete B 143.

—— *Romae mense Aprilis*. Aegidii de Bellamera, *Decisiones Rotae Romanae* A 276.

—— *Patavii 15. kal. Maias*. Hierociis, *Opusculum in aureos versus* Pythagorae, Ioanno Aurispa interprete A 771.

—— *Patavii 20. Aprilis*. Simonis de Janua, *Clavis sanationis* B 4.

—— *Romae 27. Aprilis*. Guillelmi Duranti, *Repertorium aureum* A 632.

—— *Venetiis 29 Aprilis*. *Fior di virtù*. A 682.

—— *Parmae 6. Maii*. Andreae Barbaciae, *Repetitio legis cum acutissimi. c. de Fideicommissis* A 251. (In hac primo custodes occurrunt, & hi quidem in ultimis paginis scaporum tantum, in medio marginis inferioris prope paginas characteris).

—— *Bononiae 7. Maii*. C. Valerii Flacci *Argonauticon* B 739.

—— *Bononiae 1. Iulii*. Hieronymi Manfredi, *Liber de Homine* B 139.

—— (*Norimbergae*) 3. *Nonas Augusti*. Raynerii de Pisis, *Summae sive Pantheologiae* P. II. B 353.

—— *Romae 9. Augusti*. Angeli Sabini, *Paradoxa in Iuvenalem* B 465. (In hac primo registrum numeros romanos quadratos refert qui ordinem scaporum indicant).
—— *Mediolani 22. Septembris*. Donati & aliorum Grammaticorum scripta A 627.
—— *Brixiae 8. kal. Decembris*. Homeri, *Ilias* e graeco in latinam prosam versa a Laurentio Valla A 798.
—— *Romae 25. Novembris*. *Formularium Instrumentorum* &c. C 79.
—— *Mediolani 14. Decembris*, Pauli Veneti *Logica* B 769.
—— *Tarvisii 16, Decembris*, Brunecti Latinii, *Tesoro* B 60. (In hac primo instruitur registrum primis & postremis dictionibus plagularum suturam praecedentium, & alphabeticae litterae in eodem occurrunt).
—— (*Venetiis*) 24. *Decembris*. M. T. Varronis, *De lingua latina & Festus de verborum significatione* B 764.

1475

Aeneae Silvii Picolhominei, *Tractatus de Curialium miseria* B 345.
—— (*Ferrariae*). Hygini, *Poeticon astronomicon* A 809.
—— *Neapoli*. Iuniani Maii, *Liber de priscorum proprietate verborum* B 122. (In hac primo numeri romani sociantur litteris signaturarum).
—— *Patavii* Iacobi de Forolivio, *Scriptum* & *Quaestiones in Galenum* A 703.
—— *Venetiis*. Alexandri de Ales, *Commentarium in tertium Librum Sententiarum* A 59.
—— *Venetiis*. S. Augustini, *de Civitate Dei* C 16. (In hac primo occurrunt gothici characteres communes, & nomen typographi in fronte operis legitur).
—— (*Venetiis*). Bartoli de Saxoferrato, *Lectura super prima parte Digesti veteris* A 260.
—— *Venetiis*. S. Gregorii PP. I. *Dialogi*, italice, A 751.
—— *Venetiis*. S. Thomae Aquinatis, *Summae Theologiae P. II. secundae partis* B 689.
—— *Venetiis*. *Transito di S. Girolamo*, italice, B 713.
—— *Vicentiae*. Leonardi Iustiniani, *Laude Spirituali* B 31. (In hac primo notatur in subscriptione typographica exemplarium excusorum numerus).
—— *Romae kalendis Ianuarii*. Francisci Philelphi, *Consolatio ad Iacobum Antonium Marcellum de obitu Valerii filii sui* B 531.
—— *Romae 10. Ianuarii*. Aeneae Silvii Picolhominei, *Historia Bohemica* B 346. (In hac primo editionis fautor memoratur).
—— *Romae 14. Ianuarii*, Benedicti de Nursia, *De conservatione sanitatis* B 243. 244.
—— *Mutinae 23. Ianuarii*. P. Virgilii Maronis, *Opera* genuina & illa eidem tributa cum *Supplemento Aeneidos* Maphaei Vegii B 800.
—— *Romae 27. Ianuarii*. Petri de Abano, *Tractatus de venenis* C 2.
—— *Patavii 2. Aprilis*. Ioannis Canonici, *Quaestiones super VIII. libros physicorum* Aristotelis A 457. 458. (In hac primo chronologica nota impressionis arabicis numeris exprimitur).
—— *Romae 20. Aprilis* Herodoti, *Historiarum Libri*, Laurentio Valla interprete A 769.
—— *Romae 11. kal. Maii*. *Missale secundum consuetudinem Romanae Curiae* B 197. (In hac primo membrana formae folii minoris adparet).
—— *Patavii 25. Aprilis*. Ioannis Marbres, *Quaestionum Physicarum compilatio* A 457. 458. Haec unum volumen efficit cum *Quaestionibus* Ioannis Canonici paulo superius descriptis, & unus auctor idemque opus sub duplici adpellatione videri possunt.
